The page is framed by an intricate, dark border. At the top center, a circular vignette depicts a scene with figures, possibly a religious event. The bottom of the page features a larger, horizontal vignette showing several figures in a landscape, including one who appears to be reclining. The border is filled with detailed scrollwork and floral motifs.

DE AGNO

PASCHALI, EX-  
plicationes Mysticæ, in  
XII. caput Exodi, Authore  
Blasio Literato Skrynia-  
rich, Iudice Regiæ ciuita-  
tis. Varasdiensis, nunc  
recens editæ.

Ioan. I.

Ecce Agnus Dei, qui tol-  
lit peccata mundi,

Varasdini, Anno  
M. D. LXXXVII.

LYCENAE  
BIBLIOTHECÆ

1872

... ..  
... ..  
... ..

1873

... ..  
... ..  
... ..  
... ..

11V=030002572

ORNATIS-

SIMO VIRO,

DOCTRINA, VIRTUTE AC

pietate præstanti Domino An-

thonio Vramecz, SS. Theologiæ Do-

ctori, ac Ecclesiæ Varasdiensis vigi-

lantissimo pastori, salutem

in Domino Iesu præ-

catur.

CVM nuper explicationes, de

Agno Paschali, in duodecimum

caput Exodi, olim per me con-

scriptas, & in hac schola Varasdiensi,

cum fuisssem eiusdem scholæ Rector,

auditoribus meis publicè dictatas, tuæ

præstantiæ casu aliquo in domo mea

ostendisssem: easdemq; in aliqua parte

tua præstantia inspexisset, ac etiam le-

gisset, approbabat, persuadebat meq;

monebat & rogabat, vt eas impensis

a iij meis

## Epistola

meis prælo subijcerem & in lucem emitterem: ne hoc opus, & tam multis vtilis ( vt spes est ) futurus labor, quasi sepultus iaceret, aut omnino deperiret, sed vt imprimeretur, & in publicum prodiret. Cum itaq; hæc, qualescunq; explicationes mysticæ, à tua præstantia, ita approbarentur & rogarentur, cœpi intra me cogitare, quid acturus sim, vtrum monitis tanti viri, cum quo mihi vetus intercessit familiaritas, debeam magis obtèperare, aut in his operam & impensam meam denegare. Enimuerò timebam hominum quoq; inuidorum morsus, quorum nonnulli, sanctos etiam tuos labores, super Euangelia Dominicalia, & Sanctorum festa, ad decus patriæ, gentisq; Sclauonicæ, & vtilitatem Christianæ Reipub: nunc recens Sclauonicè editos, & iam diuulgatos, maleuolè reprehendunt, quibus nihil, nisi quod ipsi volunt, vt habet  
prouerbum

## *Dedicatoria.*

prouerbum, sanctum est. Scio etenim nonnullos diuersum statuere, & nostra scripta ita carpere, vt nihil ex scriptis nostris possint probare, nisi quod ipsis pulchrum esse videatur. Etiam si quis rosas loqueretur, essent tamen, quibus suæ rosæ vrticam olerent. Adeò enim quidam sunt corrupto iudicio, vt etiam de his malè loquantur & iudicent, quæ teste eorum conscientia probent, faciunt id, quia facilius est aliena carpere, quàm propria præstare, sunt namque in aliorum scriptis censores oculatissimi, in suis verò cæcutientes. Sed hi desinant scripta nostra arguere, & studeant ipsi meliora præstare. Hæc quibus displicent, vt meliora sequantur & meliora afferant, non inuideo, nec quenquam hæc mea legere cogo. Insulsus planè est, qui nequit eligere, quod est sibi vsui, aut refugere, quod est detrimen-

## Epistola

to. At dicet aliquis: Carere potuissemus hoc opere. Respondebo: & maximo interdum possemus carere opere. Vna & altera vestis possunt homini sufficere, aliae tamen propterea non reijciuntur, &c.

Ad hæc, in hisce meis explicationibus vsus sum etiam Horatij consilio, qui in arte Poëtica suadet, ne præcipitetur editio. Itaque dabam his otium, vt diligentius relectas, tanquam lector perpenderem, sicque in lucem ederem. Cùm igitur opus ipsum inter nocturnas & diurnas manus versarem, tam ingenti animum meum affecit delectatione (cùm dies diem doceat, semperque prioris posterior sit discipulus) vt propensa etiam voluntate sim adductus, illud esse meritò edendum, & saltem aliquorum simplicium vtilitati exhibendum. De quo, spero

## *Dedicatoria.*

spero etiam bonorum virorum & pi-  
rum lectorum, cum perpenderit, fu-  
tura esse æqua & iusta iudicia.

Et cum à tua præstantia persuasus  
sim, ut has explicationes in publicum  
edere debeam, constitui apud me,  
quòd eas tuæ præstantiæ dedicare vel-  
lem. Tibi itaque vir ornatissime do-  
mino & fratri, quo meliorem ne desi-  
derare quidem licet, iam ab olim sum-  
ma necessitudine deuinctus, hunc la-  
borem meum omni iure debui dedi-  
care ac donare: quem inspiciendum ti-  
bi & emendandum trado. Multum e-  
nim in tua diligentia quoque & scientia  
positum est, ut in manus piorum ho-  
minum & Christianorum lectorum,  
quorum gratia edendas esse voluisti,  
hæc explicationes, quam emendatissi-  
mæ veniant. Nec eas prælo subiiciendas  
esse volo, nisi prius per te diligenti cir-  
cum-

## Epistola

eum spectione reuisæ & emendatæ, curâ  
iudicio approbentur, vt sic coniun-  
ctis viribus purgatæ & illustratæ atq;  
approbatæ, prodeant in publicum.

Fateor autem laborem hunc, par-  
tim meum esse ( has siquidem explica-  
tiones, ipse ex ore loquentis & in  
gymnasio suo profitentis, docti cuius-  
dam viri præceptoris mei, ante an-  
nos plurimos, cum fuissẽm adolescens,  
in Hungaria primùm audiui, & cele-  
riter, quantum notando, consequi po-  
tui, raptim excepi, ac in hanc formam,  
quasi in manipulos, singulari industria  
& studio redege ) partim postea ex va-  
ria & priuata lectione domestica, quasi  
ex mutis magistris, quotidiano exerci-  
tio congestum, vt hoc modo, hoc opus  
connexum, omnibus, ad quorum ma-  
nus peruenerit, & quibus se legendum  
exhibuerit, possit magis familiarescere.

Nihil



*Anth. Vramecz Doctor &  
eccles. Varasdien. P.*

Ad pium lectorem.

**I**Nspice pie lector diligenter, & my-  
sticæ doctrinæ de esu Agni paschalis  
(si non ante, quàm cognoueris, singulaq;  
apud animum tuum accuratè perpen-  
deris, iudicium feres) hic te thesaurum  
preciosum, reperisse fateberis. His vte-  
re mecum, & candidè iudica, sine ca-  
lumnia. Vale.



# PRÆFATIO. I

**E**TSI præcipuum lumen est in doctrina noui Testamenti, quod in Apostolorum literis continetur, vt Paulus Apostolus docet: tamen **2. Cor. 3. & 4.** necessaria est cognitio illorum testimoniorum, quæ extant in literis Mosis & Prophetarum de Christo, eiusq; morte & resurrectione. Per hæc enim testimonia, Apostoli quoq; sunt illuminati, sicut apparet ex vltimo capite Lucæ Evangelistæ. Tunc enim Apostoli ac discipuli crediderunt Christum oportuisse pati & mori, cum eis idem dominus aperuit sensum scripturarum, vt eas intelligerent. Ad hæc eadem testimonia prouocat Christus, disputans cum **Ioan. 5.** Pharisæis, cum ait: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Item: Si Mosis crederetis, & mihi crederetis, de me enim ille scripsit. Et Petrus in actis **Act. 10.** Apostolorum inquit: Huic omnes

A Prophe-

## Praefatio.

Prophetae testimonium perhibent,  
&c.

Volens itaque Christus Phariseos instituere de vera sui notitia, in qua vita aeterna est, ad scrutinium scripturarum eos remittit. Scrutari igitur oportet nos quoque omnes, cuiuscunque simus conditionis & status homines (nemini enim in Ecclesia ociari concessum est) scripturas infueto modo & in figura loquentes, ut verus earum sensus eliciatur & enucleetur. Beati sunt, ut inquit

**Psal. 118.** Psalmista: qui scrutantur testimonia domini. Et nihil in veteri testamento scriptum aut factum est, sine respectu alterius, sed omnia contingebant in figura. Sicut etiam in historia **Elisæi**, totus natalis Christi praefiguratus est, in qua Christus tectus later. Ideo dicit Angelus ad Pastores: Inuenietis eum pannis & fasciis inuolutum. Quid autem panni & fasciae aliud sunt, quam dicta & tropi veteris Testamenti? Quem  
admodum

admodum autem pastores non quæsis-  
sent Messiam in stabulo, in præsepi &  
inter exiles fascias, nisi ab angelo admo-  
niti fuissent, & hoc illis dictum & da-  
tum fuisset signum: ita nemo crederet  
in tam vili historia & simplici, Chri-  
stum latere, nisi ipse dixisset: Scrutami-  
ni scripturas, illæ enim sunt, quæ de me  
testimonium perhibent. Sed quàm cer-  
tò pastores Christum in præsepi & in  
fascijs inuenerunt: tam certò quoq; nos  
eum reperiemus in scripturis. Verùm  
quæsitore hic opus est attêto: Mille hoc  
præsepe præterissent, qui ne semel qui-  
dem suspicati fuissent ibi Messiam late-  
re. Sic mille legunt historiam de Elisæo,  
quibus nō venit in mentem, in ea Chri-  
stum inueniri posse. At pastores verbis  
angeli fidem habebant, & ita quoque  
comperiebant. Sic etiam nos Christo  
credere oportet, qui iubet nos scrutari  
scripturas, vt quæ de ipso ferant testi-  
monium. Scriptura enim sacra constat

Ioan. Fe-  
rus dena-  
tali dñi.

## Præfatio.

ex spiritu & litera, sicut homo ex corpore & anima, litera corpus est, anima vero literæ sensus spiritualis est. Quare ut cælum omnes homines vident, & Deum non vident, quem cælum celat: sic scripturas in quibus Deus absconditur, omnes quidem legunt, sed non omnes intelligunt.

Quippe ignorantia scripturæ, ignorantia Christi est. In scripturis enim Christum testum latere reperimus. Quid autem scriptura sacra aliud est, nisi quædam epistola Dei omnipotentis ad creaturam suam, qua ei diuinæ voluntatis suæ, mentisq; sensum aperit? Magnum certè malum est ignorare scripturas: Rursum ingens bonum est scrutari eas. Quem, admodum enim appetentia cibi & esuritio corporis bonam valetudinem declarant: sic desiderium sermonum Dei, animæ sanitatem indicat. Sermones autem Dei, sunt verba sacre scripturæ, quibus nobis locutus est per Moysen  
&

& Prophetas in veteri Testamento.

Sed longius digressus sum, iam redeo ad propositum, vt persequar, quod institui de agno Paschali, in hac præfatione dicere. Ex omnibus verò testimonijs Mosi de Christo & eius morte, serè præcipuum est, in imagine Agni paschalis, propositum, atq; etiam in nouo Testamento valdè celebratū. Hinc enim Baptista sumpsit suum testimonium, cum inquit: **ECCE AGNVS DEI**, Ioan. i. qui tollit peccata mundi, significans illum veterē agnum, qui huius noui typus duntaxat fuit & vmbra, ne Iudæorum quidem peccata tulisse, nedum totius mundi: Sed hanc tantum habuisse vim, vt per sanguinem eius, Iudæorum primogenita seruarentur, idq; per promissionē & ordinationem diuinam, sine qua nihil omnino valuisset sanguis illius agni, etiamsi totos se in eo lauisent Iudæi. Appellatur ergo per Baptistā **Christus** **Christus**, **AGNVS**, quòd per agnum sit per agnū

A iij præ

*præfatio.*

præfigu-  
tus.

præfiguratus redemptor orbis, innocens, & vnica salutaris hostia omnium fidelium. Agnus ergò paschalis, cuius cruor prohibuit, ab ædibus Iudæorum angelum vastatorem seu exterminatorem, typum Christo prætulit, cuius precioso sanguine reconciliati sumus Deo. Ita & Petrus ad hunc locum Mosi de agno alludens: Redempti, inquit, estis, non auro vel argento corruptibili, sed precioso sanguine Christi, tanquàm A G N I innocentis & immaculati. Nec ignota sunt verba Pauli dicentis: Pascha nostrum immolatus est Christus. Significat & Ioannes Euangelista in hac historia Mosi, Christum quærendum esse, de quo hinc citat dictum: os non comminuetis ex eo. Sed & ipse dominus totam suam concionem hinc deprompsit, de manducanda carne sua, & bibendo sanguine suo ad vitam æternam, &c.

1. Pet. 1.

1. Cor. 1.

Ioan. 19.

Magnum igitur operæpretium est,  
hunc

hunc locum Mofi cognoscere, & cum apertis de Christo testimonijs in Nouo Testamento, conferre. Nam huiusmodi collationibus scripturarum, vel maximè confirmatur in animis hominum notitia Christi, & quo hæc fit certior, hoc firmitus possumus ei assentiri.

Nihil autem hic in historia hac Agni Paschalis est, quod certam suam causam & significationem non habeat. Quid autem horum vnumquodq; significet, imò quid sibi tota hæc actio velit, hic in hoc opere explicatum habemus: Et tum ea res & figura ita considerari non poterat, nunc quo spectauerit scimus. Ideoq; tanto maiori feruore, amore & deuotione in ea consideranda nos intentos esse conuenit, vt eam in recenti habeamus memoria, & vt discamus, historię illius utilitatem, quia propter nos scripta est. Docemur enim ex ea, quod Deus nunquam dereliquit suos, sed gloriose triumphat in illis, contra



## Præfatio.

Psal, 76.

quoscunq; aduersarios, & ducit mirabiliter suos. Ducit enim, sicut pastor oves. Deduxisti ( inquit Psalmista ) sicut oves populum tuum. Habemus etiam in hoc ipso capite, pulcherrimas circumstantias, quæ considerandæ sunt, vt vsus in conspectu versetur. Multa siquidem ad præparationem illius paschatis requirebantur. Primò, necessarius erat Agnus, qui immolaretur. Deindè, liniendi erant postes domus, sanguine agni. Tertiò, agnus ipse assandus erat. Quartò, exigebantur lactucæ amaræ seu agrestes. Quintò, Azimi panes. Sextò, calceamenta. Septimò, Baculi. Hæc omnia & reliqua, quæ continentur in hac historia, requirebantur, ad illum esum agni, quæ sunt pulcherrimæ circumstantiæ, de quarum fine & significatione hic mysticæ interspergentur doctrinæ, dignæ diligenti consideratione. Quæcunq; enim circa veterem illum agnum facta & præcepta fuerunt, in nostro no-

uo & vero AGNO cōpleta sunt. Quamobrem non solum ut historiam legere debemus hunc locum Mosis de agno paschali, ut sciamus quomodo populum suum Deus seruarit ab illa clade, qua tota Aegyptus affecta est, per mortem primogenitorum: verumetiam ut prophetiam & figurā de Christo, æquē ad nos atq; ad Iudæos pertinentem, de morte & resurrectione eius, de immensis beneficijs & fructibus eiusdē, & quales oportet nos esse, qui his fructibus frui volumus. Hæc enim tanq̄ in tabula quadam spectari possunt in paschate Mosis, quod omnes pij & postea semper ad Christum applicarunt. Atq; inde intellexerunt eum pati & mori oportere, priusquam regnum suum constitueret. Sic Esaias hunc locum intellexit, scribens de Christo: Oblatus est, inquit: quia ipse voluit, & non aperuit os suum: & agnus ad occisionem ducetur, & quasi ovis coram tondente obmutes-


Esai. 53.

*præfatio.*

scet, & non aperiet os suum. Hoc explanatione non indiget, cum omnibus sit notissimum. Christus namque ductus ad Pilatum, falsoque accusatus, verberatus, &c. ipsi Pilato, pluribus eum interroganti, verbum vix aliquod respondit. Sic & Daniel apertè inquit: Christus occidetur. Intelligebant & temporis & loci circumstantiam. Eodem enim tempore immolandus erat Christus, quo vetus agnus paschalis, idque Hierosolymis. Verè igitur Propheta est Moses in hoc capite Exodi, & quatenus hoc officium administravit, non modo Iudæorum est, verumetiam noster, sicut alij Prophetæ omnes, qui quidem ex vno Mose, hauserunt omnem doctrinam suam, adiuti à spiritu sancto, ad huius autoris ministeria intelligenda & illustranda. Ex quibus hoc tamen est singulare, complectens omnia, quæ ad totam sapientiam spiritualem sunt necessaria. Nam in morte & resurrectione  
Chri

Christi, sita sunt omnia, quæ filios Dei  
scire licet. Itaq; Paulus affirmat, se ni-  
hil aliud omnino scire velle, nisi Iesum  
crucifixū. Et ad Romanos inquit: Tra- Rom. 4.  
ditus est propter delicta nostra, & re-  
surrexit propter iustificationē nostram.  
Hinc licet primum nostrorum peccato-  
rum & iræ Dei magnitudinem agnosce-  
re, cū nemo præter filium Dei cruci-  
fixum, his tantis malis mederi potue-  
rit. Deinde & misericordiam exuberan-  
tem supra peccatum, quæ agnitio  
sola affert nouam vitam &  
iusticiam sempiter-  
nam,





EXPLICA-  
TIONES MY-  
STICAE IN XII. CAPVT  
Exodi, De esu Agni Pa-  
schalis.

TEXTVS.

Locutus est Dominus ad Moy-  
sen et Aaron in Aegypto.

EXPLICATIO.

**H**Aec est communis praefatio Mofi  
ad omnia, quae fecit & in Aegy-  
pto, & postea dum ministerium  
eius durauit, hoc modo facit authori-  
tatem verbo suo, cum non sit ipsius,  
sed Dei, cui debetur infinita obedi-  
entia. Faciunt hoc idem & alij ministri Dei  
tùm Prophetæ, tum Apostoli, quibus  
imme,

## *Explicatio de*

immediatè traditum est verbum à Deo cum illustribus testimonijs miraculorum, quæ testantur, eos à Deo missos esse. Cum ergò manifestum sit verbum Mosi, esse verbum Dei, certò ei credendum est.

Porro, Dominus loquens cum Mose & Aarone, est ille idem Dominus, cuius Typus, hoc est, figura, fuit vetus agnus Paschalis, per hunc enim servatus est populus Israël, ex cuius medio venturus erat. Idç de persona Domini loquentis ad Mosen, non nos fingimus, sed iam olim docuit diuus Paulus: Ostendens illum, qui præsto fuit populo Israël in Aegypto, in mari rubro, in deserto, Christum fuisse. Is ergò per sanguinem agni servavit primogenita Israël, & proposuit imaginem, vnde cognosceremus ipsum quoque moriturum esse, & sanguine suo vitam æternam daturum, cum ipse sit æternus.

Textus.

TEXTVS.

Hic mensis erit vobis primus  
vnde annum inchoabitis.

EXPLICATIO.

**M**Andatum de initio anni, tradi-  
cum populo Israël, illi quidem  
populo fuit ciuile, sicut Romanis,  
quorum consuetudinem nos quoq; re-  
tinemus, vt liberam: Sed tamen non  
caret mysterio, vt & cætera omnia, quæ  
in hac cærimonia paschalis agni præ-  
cepta sunt. Nam propterea voluit De-  
us hoc tempore populum suum ex cor-  
porali seruitute liberare, & primoge-  
nita eius per sanguinem agni seruare à  
morte corporali, quod omnino idem  
tempus constituerat ad liberationem  
humani generis, à morte æterna. Pro-  
pterea saepe in Ioanne scribitur: Iudæ-  
os quidem aliquoties de Christo occi-  
dendo cogitasse, sed tamen ante tem-  
pus



## Explicatio de

pus à Deo cōstitutum id fieri non potuisse. Idemq̄ tempus voluit populo Israël anni initium esse, vt admoneret eum, circa hoc tempus etiam noui Testamenti principium fore, vt morte deleta homines vitam æternam consequerentur. Cum enim eodem tempore conditus esset homo, atq̄ in peccatum ac mortem lapsus: placuit Deo id tempus etiam in homine restituendo tenere ad nostram doctrinam & consolationem. Nam ipsi quidem carenti principio & fine, neq̄ temporum, neq̄ locorum delectu opus erat: Sed propter nos facit omnia huiusmodi, cum nihil capiant animi nostri quod est infinitum. Huic verò tempori, quo per mortem & resurrectionem Christi, salus restituta est hominibus, non solum respondet cæremonia veteris Testamenti paschæ, verumetiã tota rerum natura. Circa hoc enim tempus noua fiunt omnia, sicut canit Ecclesia in suis carminibus

de

de resurrectione Christi, cum quo suo conditore reuiuiscunt omnia: eiq; gratulantur contra mundum & diabolum, qui quantum est in ipso, libentissime impediret, ne quid fructuum terra produceret, in testimonium resurrectionis Christi, & ne sancti de sua quoq; resurrectione admonerentur tot testimonijs tum scripturæ tum naturæ. Quamquam enim nec annus, nec dies, nec hora nobis ostensa est, qua mortui resurgent: tamen credibile est hoc fore tempore veris, quo & Christus resurrexit: cui ecclesia est conformis,

Sciendum est autem, mandatum Dei accipiendum esse non de mense ciuili, sed de mense lunari, qui est spatium inter duo nouilunia. Cœpit igitur annus Iudæorum à nouilunio mensis Aprilis, quod proximè post æquinoctium veris sequebatur. Sicut Romani à Ianuario qui solstitio hyemali proximus est, initium anni sumpserunt, Ne quis

## Explicatio de

autem per superstitionem existimet impium esse, quod nos hoc mandatum Dei de principio anni, non seruamus: Sciendum est, mandatum Iudæis nominatim datum esse, non omnibus hominibus in toto orbe terrarum, (in dictione enim vobis est emphasis) quod tantum ad Iudæos pertinet, non ad nos. Sicut & cæremonia veteris paschatis, & liberatio ex Aegypto, tantum Iudæorum fuit. Licet igitur vnicuique suæ Reipub: moribus vti in anni principio, cum præsertim totius ecclesiæ consensus accesserit, vt à nato Christo annum nostrum ordiamur.

Sed de hoc die paschatis adhuc pauca dicam, cui figuram plenilunij adficiam: quod ad hanc doctrinam optimè conuenit. Initium anni fuit apud Iudæos coniunctio Solis & Lunæ, vt viri docti & Iudæus quidam affirmant, proximè præcedens vel sequens æquinoctium vernale. Ita primus mensis incidebat

debat in nostrum Martium & Aprilem. Vti sunt autem Iudæi mensibus lunari-  
bus, vt iam dictum est, quorum singu-  
li 29. dies & 12. horas continebant, spa-  
tium videlicet temporis ab vna coniun-  
ctione ad proximè sequentem. Fuit er-  
gò mensis lunaris spatium inter duas  
coniunctiones, hoc est, inter duo no-  
uilunia. Itaq; pascha quod semper 14.  
die mensis primi celebrabatur, semper  
in diem plenilunij incidit. Quare Chri-  
stus etiam eodem die, qui tunc in 25.  
diem Martij Romani incidebat, & pa-  
scha Iudaicum vespere celebrauit, & si-  
mul figuram impleuit, cum ipse verum  
pascha pro nobis in ara crucis immola-  
tus est.

Sciendum etiam est, quòd Iudæi ini-  
tium diei capiunt à vespere. Hinc itaq;  
intelligi potest, quomodo Christus vno  
& eodem die paschatis, & celebrauerit  
pascha Iudaicum vesperi, & ipse verum  
pascha in ara crucis immolatus sit, hora

## Explicatio de

diei artificialis sexta, cùm manè ma-  
statur.

Significatio quoq; figuræ plenilunij  
nota est, nã sicut agnus ille in plenilunio  
immolabatur, sic Christus in plenilunio  
temporum venit, & secundum diem  
passionis suæ in plenilunio crucifixus  
est. In plenitudine ergo temporis, quod  
figurabatur per plenilunium, in quo pa-  
tribus veteris Testamenti agnum im-  
molare solenne erat, crucifixus & im-  
molatus est Christus. De quo inquit  
Galat. 4. Apostolus: At vbi, hoc est, postquam,  
venit plenitudo temporis, misit Deus  
filium suum factum ex muliere, &c. In  
plenitudine temporis, inquam venit,  
quando iam auctus erat electorum nu-  
merus, etiam apud infernalem Aegy-  
ptum redemptionem suam expectan-  
tium, &c.

### TEXTVS.

Dicite vniuersæ multitudini fi-  
liorum

liorum Israel: Decimo die mensis huius, sumat vnusquisque paterfamilias ouem, aut si vnus domus homines non sufficient ad ouem consumendam, assumantur vicini.

EXPLICATIO.

**M**andatum Dei de comedendo paschate in genere ad omnes homines pertinere, diligenter obseruandum est, hinc enim apparet Deū prauidisse, quòd idem populus etiam noui AGNI mactator futurus esset, verùm sine mandato. Oportuit enim passionem Christi per omnia ita esse duram atq; atrocē, vt nihil ad eam posset accedere. A quocunq; autem populo esset traditus extra hunc suum, ex quo venturus erat, tantum ei doloris sua mors non attulisset, quantum ex eo cepit, quòd à proprio populo & fratribus suis pro-

## Explicatio de

ditus est. Quemadmodum in Psalmis sæpè conqueritur. Sed hoc ad rationem sacrificij eius pertinebat, vt easdem omnino pœnas, quas nos meriti eramus, ipse pro nobis pateretur, ita postulante iusto iudicio Dei. Voluntas autem Diaboli erat, vt hoc tam diro vulnere omnes homines deterret, ne amplecterentur eum, qui à proprio populo crudelissimè tractatus esset. Verùm præter hanc tristem prophetiam, consolatio quoq; admirabilis in eodem mandato continetur. Nam quòd Deus vniuerso populo Iudaico mandat, vt agnà à se maectatum non abijciat, sed comedat: significat ipsam maectatione nemini aliquid detrimenti allaturã esse, sed maximum emolumentum, si carnem Agni à se maectati ederent. Quomodo autè id fiat, ex verbo noui Testamenti, discendũ est, in quo Ioannes, Christus & Apostoli docent, quòd agenda sit pœnitentia, hoc est, verè agnoscendum esse peccatum

Matth: 3.  
Luc: 3.

tum)

tum nostrum & horribilis ira Dei propter peccatum. Deinde contra desperationem, fide apprehendenda est promissio Euangelij, qua in nomine Christi, qui carnem suam pro nobis obtulit patri, & sanguinem suum pro nobis fundit, offertur gratia Dei & remissio peccatorum. Sic exponit vsum mortis suae Christus, Ioan. 6. Item in parabolis de nuptijs & cœna magna, quæ ideo magna appellatur, quod non vni tantum populo parata est, sicut illa vetus, sed toti orbi terrarum.

Matth. 22  
Apoc. 19  
Luc. 14.

Quòd autem singulis patribus familiâs mandatum fuit, vt agnum paschalem suis ædibus sacrificarent, vel duobus vicinis simul, si familiæ minus frequentes erant, id non eò factum est, quòd in futurum etiam multi agni mandandi essent, (vnus enim Christus ac semel tantùm oblatus sufficiens erat futurus ad omnia quæ ad redemptionem nostram erant necessaria, sicut Epistola



## Explicatio de

Heb. 9. & ad Hebræos docet) sed quod in cœna  
10. primi paschatis ostendere Deus volu-  
1. Pet. 3. it, etiam de nouo paschate, omnes ede-  
re oportere, quicumque Deo placere  
vellent. Neq; enim vnus agnus quadru-  
pes sufficiebat omnibus, sicut vnus  
Christus satis est omnibus, & singulis  
integer datur per ministerium Euange-  
1. Cor. 11. lij, & maximè in sacramento nouæ cœ-  
Math. 26 næ, quæ quàm maximè aut proximè ad  
Mar. 16. exemplum veteris accedit. In hac enim  
Luc. 22. non tantùm spiritali modo editur  
Christi caro, & bibitur sanguis eius, id  
quod à pijs solis fit, verùm etiam acce-  
dit corporalis manducatio communis  
pijs & impijs.

Cur autem iussit Deus agnum de-  
cimo die mensis segregari à reliquo  
grege, cum quinto demum die post  
mactandus fuerit? Hoc totum significa-  
tionis causa accidit. Nam quod ad il-  
lum veterem agnum attinebat, potuit  
Matth. 21 eodem die de grege sumi quo mactari  
Luc. 19. debuit.

debut. Sed oportuit typum omnino conuenire cum re significata. Nam quinto die ante passionem suam Christus decreuerat ingredi Hierosolymam, locum scilicet passionis, vt deinceps ibi resisteret, tanquam in stabulo suo donec caperetur: sed tamen arbitrio suo regens omnia, non sicut hostibus videbatur. Neque enim eis consilium erat in die festo occidere Iesum propter metum populi. Sicut ipsi dicebant: Non in die festo, ne forte tumultus fiet in populo. Sed ita fieri oportuit, vt scriptura seu voluntas Dei scripta impleretur. Huic rei seruiebat pompa in Zacharia prædicta, quam in hoc tempus distullerat Iesus. Præterea expulsio omnium è templo, tunc cum maximè ferueret quæstus sacerdotum. Item: conciones frequentissimæ ac vehemētissimæ, quibus rebus omnibus prouocati sunt hostes, ne rem longius differrent. Quanquam autem præcipua passio

Matt. 26.

Mar. 14.

Zach. 9.

Mar. 11.

Luc. 19.

## Explicatio de

Hierosoly  
ma car-  
cer Chri-  
sti.

Christi tunc inchoata est, cum eum ho-  
stes armati inuaserunt: tamen ab hoc  
toto tempore, quo ingressus est Hiero-  
solymam carcerem scilicet suum, ingen-  
tes animi angustias sensit, mortem præ-  
cedentes. Neque cibi amplius neque potus  
admodum memor: Sicut est natura  
agni, cum à grege seiunctus in stabulo  
solus tenetur, & solitudinem ægrè fe-  
rens ac mortem sibi prælagiens. Huc  
pertinent tristissimæ voces Iesu, quas  
per idem tempus subinde protulit co-  
ram discipulis, significans, quàm gra-  
uiter angetetur, sicut locutus est ad  
discipulos suos: Nunc anima mea tur-  
bata est. Et quid dicam? Pater saluifica  
me ex hac hora.

Ioan. 12.

Postremò hic quoque consideranda  
est significatio figuræ, quòd sumitur  
agnus seu ovis ex reliquo grege, idque  
decimo die mensis huius, significat, fi-  
lium Dei assumere humanam naturam  
ex populo Israël: Et sicut agnus ille de-  
cimo

cimo die primi mensis tolli & segregari  
debebat à grege, & quartadecima im-  
molari: sic Christus decima die mensis Matt. 21.  
huius intrauit Hierusalem, locum sci- & 26.  
licet passionis suæ. Ante sex enim dies Mar. 11. &  
venit Bethaniam, & sequenti die Hie- 14.  
rosolymam ingressus est, ac exceptus à Ioan. 12.  
turbis, quasi Agnus qui quartadecima Luc. 19.  
die immolaretur.

TEXTVS.

Sumetis autem ouem in qua  
nihil sit vitij, masculam, annicu-  
lam, ex agnis et hædis. Aut ( vt  
alia translatio habet ) erit Agnus  
absque macula, masculus, annicu-  
lus, ex agnis et hædis.

EXPLICATIO.

**H**Acc verba docent qualis futurus  
esset AGNVS ille Dei, qui portatu-  
sus

## Explicatio de

rus erat peccata mundi, nimirum, absq;  
omni vitio. Nam alius nō fuisset idoneus  
ad omnium aliorū hominum pecca-  
ta tollenda, nisi is, qui proprium scili-  
cet peccatum, nullum haberet: Itaq;, neq;  
conceptus, neq; natus est in peccato, si-  
cut ceteri homines ab Adam propaga-  
ti, sed è Spiritu sancto & virgine Ma-  
ria: Fuit ergò & persona & vita huius  
noui A G N I, hoc est Christi, sine vi-  
tio & peccato, quam & ipse Christus  
contra calumnias Iudæorum tuetur,  
Ioan. 8. dicens: Quis ex vobis arguet me de  
peccato? Nec illorum tamen quisq; erat,  
qui ei vel minimum crimen impingere  
potuisset. Istud verò non posterius est,  
quod circa passionem Christi confide-  
randum est. Magni quippe refert, Chri-  
stum (quòd ad personam illius attinet)  
inculpabilem prorsus & innocentem  
passum esse. Quid alioqui solatij ex pas-  
sione Christi caperemus, si aduersarij  
nostri Iudæi probare possent, Christum  
malefi-

maleficum fuisse, & dignum suis factis præmium recepisset Nihil inquam, solatiij nobis afferret passio Christi, si maleficus fuisset, imò pudere nos illius & passionis eius oporteret. Hoc autem nos consolatur, quòd scimus illum immeritò passum esse. Nam hinc videre possumus quid nobis illa re seruiuit, nostra quippe peccata sua passione correxit, & omnem pœnam ac iram Dei pro erratis nostris, à nostro tergo in se transtulit, hoc, inquam, nos consolatur: atq; hæc causa est, cur nos passionis & crucis Christi nõ pudeat, sed eam laudi nobis & gloriæ coram toto mundo ducamus. Et hæc est utilitas, scire quippe Christum, quò ad suam personam, infontem passum esse: nam peccatum non fecit, & dolus in ore eius non est inuentus. Huc pertinent tum Prophetarum tum Apostolorum testimonia, quæ prædicant innocentiam Christi, cuiusmodi est illud *Esaie*: Non est *Esa, 53.*  
inuentus

## Explicatio de

1. Pet. 2. inuentus dolus in ore eius. Et in Hieremia appellatur germen David iustum.
1. Ioan. 3. Et Paulus ad Corinthios inquit: Eum
- Hier. 23. qui ne nouit quidem peccatum vllum,
2. Cor. 5. pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iusticia coram Deo. Quin & hostes quoq; ipsi, dederunt illi testimonium innocentiae. Agnoscebant enim & Pontifices & Pilatus, quod testimonia accusatorum non essent vera. Testatus est & alter latronum, qui cum eo crucifixi erant, nihil in eo fuisse mali.
- Ioan. 19. Item Centurio, cui custodia eius commissa fuerat, & vxor Pilati. Neq; enim passio & mors Christi per se, sed quia fuit innocens & absq; omni sua culpa, profuit nobis ad reconciliationem & gratiam Dei impetrandam. De communicando suam innocentiam & puritatem, facit sibi ecclesiam quoq; mundam, sanctam & immaculatam. Sicut a
- Math. 27. Paulo in Epistola ad Epheseos describitur. Sicut Apostolos, quanquam im-
- Ephes. 5. mundos:
- Tit. 2.

mundos: tamen pronunciat mundos propter verbum suum, quo promittit remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ omnibus, qui credunt promissioni. Erit, inquit: Agnus absq; macula, masculus, anniculus. Absq; macula, id est: totus albus, vt nulla nigredo sit in vellere eius. Aut, absq; macula, significat, integrum, non mutilum, non morbidum, ac sine omni infirmitate. Ita Christus & masculus & iuuenis & omni infirmitate, id est, omni tabe peccati caruit. Huc illud applicari potest: vbi de vaccæ rufe mysterio, mentio fit. Per vaccam enim rubram, integram, nullam in se maculam habentem, quæ in remissionem peccatorum vniuersi populi immolari publicè debebat, Christus Iesus, qui rubeus, & absq; macula in remissionem peccatorum mundi, publicè immolandus erat, figuratus est.

Num. 19.  
De mysterio  
vaccæ rufæ.

Quare autem oportuerit agnum,  
non



## Explicatio de

Psal. 109.

non agnam accipi ad pascha vetus celebrandum, facilis est interpretatio. Neq; enim persona mediatrix, de muliebri, sed de virili sexu futura erat, sicut conueniebat pontifici & Regi, quæ sunt officia virorum, ac tantum viris diuinitus commissa, cum ob alias causas, tum propter hanc, vt extaret testimonium, quod Deus etiam ad æternum pontificatum & regnum administrandum, missurus esset virum & heroa singularem. Nec etiam ætas anni caret mysterio. Nam anniculus est optimus & suauissimus. Itaq; huius ætatis Agnus verè fuit figura seu imago Christi, qui non solum fuit integerrimus, (quod ad naturam attinet) verumetiam ætate florentissima, cum occisus est, quo tempore in pleno cursu erat ministerium eius. Quod autem hostia illa de oue sumi debebat, & non de vacca, (licet de animalibus illis etiam vacca sit, de quibus fieri sacrificium in lege præceptum fuit)

fuit) causa est, quòd sicut ovis cum capitur, non recalcitrat neq; cornu petit sicut vacca: ita Christus, cum captus est, non resistit, nec se, cum posset, defendit.

Illud autem admiratione dignum est, quamobrem Deus iusserit agnum paschalem sumi ex agnis & hœdis (hœdus autem est foetus capræ). Neq; enim ex hœdo voluit fieri victimam paschalem, sed ex agno, vt iam dictum est, integro, masculino & anniculo. Videtur autem hæc esse sententia præcepti, quòd agnus paschalis sumtus sit ex tali grege, qui mixtus est ex agnis & hœdis. Solent enim huiusmodi quoq; greges ali, qui constant ex utroq; genere. Atq; ita pulchrè cõgruit figura ad rem ipsam. Christus enim prodijt ex huiusmodi populo, qui mixtus fuit ex bonis & malis, & quidem maxima ex parte malis. Filius namq; Dei assumit humanam naturam ex populo Israël. Ac non solum de to-

## Explicatio de

to populo Israelitico id verum est, verum etiam de ipsa familia, vnde Christus assumpsit carnem suam, quemadmodum ostendit Genealogia eius, eum videlicet à personis peccatricibus & alienigenis, quales in Genealogia eius multi recensentur, natum esse. Vnde manifestum est, Christum venisse omnibus tum bonis, tum malis. Indeque primò certificamur, non solum ipsum venisse propter iustos, sed & peccatores. Deinde quòd Ecclesia quoque eius in hac vita non est futura seiuncta à malorum societate, à quibus plurimum pati cogitur. Etsi enim externos quoque aduersarios (vtpote Turchas, Iudæos & hæreticos) habet Christus cum suo regno, hoc est, cum Ecclesia quæ repræsentat figuram Christi: Temen plus patitur, & plus oritur periculi ab his, in quorum medio versatur, & qui cum externis hostibus colludunt: Sicut Iudæi sibi Romanos adiunxerunt in Christo

Christo occidendo. Triste igitur vaticinium continetur in mandato, quò præcepit Deus, vt agnus paschalis sumeretur ex promiscuo grege Agnorum & hœdorum. Sed tamèn datæ sunt promissiones de auxilio, quo seruetur Ecclesia, & de liberatione futura in consumatione mundi: Sicut docet ipse dominus in parabola de Zizanijs: Item de bonis & malis piscibus: Item de nuptijs: & in historia de iudicio extremo, vbi videlicet oues ad dextram, hœdos verò ad sinistram manum, hoc est, ad supplicium æternum destinabit.

Matth. 13

Luc. 12. &

14.

Matt. 25.

T E X T V S.

Seruabitis autem eum vsque ad decimum quartum diem mensis huius.

E X P L I C A T I O.

**H**Vius mandati ratio fuit, quòd post decimum quartum diem mensis, no-

## Explicatio de

ete sequenti percussurus erat Deus primogenita Aegypti, & seruaturus filios Israël, quorum fores sanguine Agni conspersos esse voluit. Principalis autem causa fuit Christus, qui sub idem tempus cœpit mactari: quod tempus à Deo constitutum, nemo vel paululum mutare potuit, quantò minus alia maiora fuerunt in potestate mundi & principis eius. Itaq; cum caperetur Christus: Quotidiè (inquit) vobiscum eram docens in templo, neq; tamen cepistis me: Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Significat enim se non potuisse capi citius, quam ipse voluit: Sicut ad Pilatum quoq; ait: Non haberes potestatem in me vllam, nisi data tibi esset à Deo. Atq; hoc alterum est, quod in passione Christi magnopere obseruari debet. Oportuit enim eum non solùm absq; omni culpa propria esse, verùm etiam sponte offerri. Oblatus est, quia ipse voluit. Sic demum valuit

Matt. 26.

Ioan. 19.

Esa. 53.

valuit sacrificium eius ad reconciliatio-  
nem. Sed mediatoris voluntas, fuit e-  
tiam voluntas patris, non recens su-  
scepta: Sed vt Petrus concionatur iam **Actor. 2.**  
olim præfinita, quò minus est dubitan-  
dum, quin Deo placuerit, vt filium vni-  
genitum traderet pro nobis. Quare, in  
passione Christi ante omnia oculos no- **Ioan. 3.**  
stros ad Deum vertamus oportet, nam **Deus pri-**  
is prima causa passionis Christi est. **maria**  
**causa pas-**  
Alioqui, neq; Iudæi, neq; cuncta Roma- **sionis**  
na potentia aduersus Christum valuis- **Christi.**  
set quicquam, nisi illum Deus in passi-  
nem & crucem tradidisset. Quemad-  
modum & ipse Dominus, vt præmissi,  
ad Pilatum dicebat: Non haberes po- **Ioan. 8. 19.**  
testatem aduersum me vllam, nisi da-  
tum tibi esset desuper. Et ad Petrum:  
Pater dedit mihi calicem. Magna autem **Ioan. 18.**  
causa fuerit, necesse est, quod Deus pro-  
prium suum & vnicum filium, quem  
vnicè diligebat, in mortem tradidit.  
Quid illum ergo mouit? Audi, quid

## Explicatio de

**Pfal. 104.** dicit Dauid : Memor fuit Testamenti sui, aut memor verbi sancti sui : hoc est, promiserat hoc patribus, ideo præstare etiam volebat, quò verax in verbis suis inueniretur. Hic vides, quòd veritas Dei, causa vna & præcipua est passionis Christi. Sed quid mouit Deum, vt hoc patribus promitteret ? **Ioan. 3.** Amor illius & misericordia : Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret in mundum, &c. Hinc ergò perspicuum est, quòd amor & misericordia erga genus humanum, prima & originalis causa fuerit passionis Christi. **Rom. 8.** Etenim nostri amore non percipit proprio filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Atq; hoc considerandum est hic, circa passionem, quod ipsum in nobis excitabit admirationem diuinæ bonitatis & misericordiæ.

Sicut autem in Christo sunt omnia diuinitus gubernata, non ex hostium  
arbi

arbitratu: Sic nostræ quoq; afflictiones omnes pendent à sola voluntate Dei, qui facit omnia ad vtilitatem nostram.

TEXTVS.

Immolabitque eum quælibet familia in toto Israel tempore vespertino.

EXPLICATIO.

Post mensem & diem, constituit Deus etiam horam, non tam ad illum Agnum veterem immolandum, quam nouum, quò magis appareret omnem rem sitam esse in ipsius potestate, non hostiù: vsq; adeò enim nihil valuit ho-

Ioan. 7:



## Explicatio de

tum auget dolores & angustias. Quem  
admodum enim Agnus noctu iussus  
est mactari & māducari: sic etiam Chri-  
stus nocturno tempore ne à populo li-  
berari aut defendi posset, captus est. Et  
vt Agnus paschalis mactabatur vespe-  
ri: ita Christus mactatus est & occisus  
circa finem mundi. Omnia enim hæc  
ad figuram pertinent.

Porro non est imaginandum, quod  
in hoc mandato de immolando vetere  
paschate, contineatur etiam mandatum  
de occidendo Christo, cuiusmodi nul-  
lum extat. Neq; enim peccassent Iudæi  
occidendo Christum, si mandatum Dei  
habuissent. Sicut nec Abraham pecca-  
uit volens immolare filium Isaac, qui  
fuit figura Christi, quia habuit manda-  
tum à Deo. Sed Deus præuidens fu-  
tura, voluit in veteri paschate insti-  
tuendo reuelare illa, quæ in futurum  
euentura erant, ne tantæ res ipso igno-  
rante aut inuito, gestæ esse viderentur  
cum

Matt. 26.  
Mar. 14.  
Luc. 22.  
Ioan. 18.

Gen. 22.

cum filio eius vnigenito, cui peccata totius mundi erat impositurus. Neq; enim Christus debuit seipsum occidere, nec immediate à patre percuti: Sed per certos carnifices, qui acerrimo illum odio prosequerentur, quò grauius cruciaretur. Neq; tamen ideo non peccauerunt Iudæi, quòd executi sunt iudicium & voluntatem Dei. Non enim ideo crucifixerunt Iesum, quòd voluerunt obedire Deo, cum nullum haberent mandatum Dei: (Mandatum enim & obedientia sunt correlatiua) sed vt horribile odium in eo tollendo explerent, quod adhuc in reliquis Iudæorum hodie videre est.

Ioan. 8.

Mandatum & obedientia sunt correlatiua.

Nec illud etiam caret mysterio, quòd dicit: immolabit eum quælibet familia in toto Israel. Sicut enim agnus ille ab omni multitudine filiorum Israël immolabatur: sic Christus pro omnibus passus est, omnesq; omnium ætatum homines per solum ipsum sacrificiũ salutem consequuntur.

1. Tim. 2.

Tex,

# *Explicatio de*

## TEXTVS.

Sumetis autem de sanguine eius, eoque tingetis vtrumque postem ianue, et super liminare illarum aedium, in quibus comedetis.

## EXPLICATIO.

**H**Aec est mirifica institutio, quod Agnus caesus, suis interfectoribus est saluti. Nam propterea mactatus est, non ut sibi prodesset, sed ijs a quibus est mactatus, idque propter ordinationem & promissionem diuinam. Sed illius veteris agni sanguis, tantum ad corporalem vitam populo corporali profuit: nostrum vero Pascha cum suo sanguine, quo aspergitur ecclesia, & a peccato mundatur, affert suis interfectoribus vitam aeternam. Neque vero Iudaei tantum, sed etiam nos & omnes homines, sumus authores mortis Christi,

Christi. Nam per interfectores non ita intellige Iudæos, qui cum occiderunt, sicut nos cum Adam, qui sumus causa mortis eius. Sed hoc tamen vertit Deus pro sua sapientia & misericordia in nostrum commodum, quòd sanguinem suum fudit Christus pro salute illorum, per quos morti est traditus: Si modò non recusant sanguine eius conspergi: hoc est, credere, quòd verè pro ipsis Christus mortuus est, ut essent liberi à maledictione, cui subiecti manent omnes alij, sicut in Aegyptiorum exemplo est significatum. Nam ut tuta erant ab Angelo percutiente primogenita Aegypti, quorum postes ædium & limina aspersa erant sanguine Agni paschatis: sic nos ab æterna morte liberi erimus, si corda sanguine **AGNI** immaculati Iesu Christi, tolerantis peccata mundi, tineta circumferemus.

Hic etiam considera, quòd lo-  
co

## Explicatio de

Mar. 16. co sanguinis nobis est Baptismus, &  
1. Cor. II coena à Christo instituta,

Cur autem vterq; postis cum superliminari, sanguine Agni conspersus sit, obscurior est significatio, neq; enim omnium mysteriorum potest reddi ratio sufficiens in hac vita, neq; etiam necessarium est scire omnia, propterea multa celauit nos Deus, quæ tùm demum scire oportebit, cùm in conspectum eius veniemus. Nunc ergò non est integrum temere quæuis arripere.

Potest tamen hic ( si cui videbitur ) talis significatio poni : Quòd sanguis Agni super vtrumq; postem & superliminaria domorum, in modum & signum crucis aspergebatur : Is sanguinem designauit Christi, qui in cruce effusus est.

### TEXTVS.

Sic autem vescimini carne illa nocte, vt tosta sit ad ignem, et  
azymis

azymis panibus vtamini vnà cum  
lactuca amara, seu agresti.

EXPLICATIO.

**M**odus celebrandi Paschatis multa docet. Primùm, vt non sufficebat domos ipsas conspergere sanguine Agni, sed necesse erat populum vesci carne eius: ita non satis est prædicari Euangelium Christi de morte eius & sanguine, per quem conspergitur domus, hoc est, Ecclesia, sed necesse est edi carnem AGNI. Filij Israël edebant eam corporaliter, ad corporalem liberationem: nos nostrum Pascha edimus spiritu, ad spiritualem liberationem atq; æternam vitam. Ad huiusmodi manducationem hortatur nos Christus, cum ait, Ioan. 6. Vescimini cibo, non qui perit, sed manet in vitam æternam: quem cibum daturus est vobis filius hominis, ad hoc donatus à patre. Idq;  
verbum

## Explicatio de

verbum sic exponit: Opus Dei est, ut credatis in eum, quem misit: Is est panis vitæ. Quicumque edit hunc panem, is nunquam esuriet, & qui crediderit in me, is non sitiet in æternum. Sic enim oportet nos fructum mortis Christi consequi, ut eum fide nobis applicemus, credentes, quod per eam nos quoque cum Deo reconciliati sumus. Neque enim sibi, sed nobis est mortuus, ut nos redimeret à morte æterna. Ad huiusmodi manducationem alludit & Augustinus in eodem sermone Christi exponendo. Neque enim dentes & ventrem iubet præparari, sicut ad veterem Agnum opus erat, sed fidem afferi: sic enim pascuntur animi & recreantur in æternum, quando verè credunt se propter mortem Christi à peccato & ira Dei redemptos esse, siue audient solum Euangelij promissionem in genere prædicatam, siue utantur sacramentis. Sicut autem aliena manducatio veteris paschatis

Rom. 3.  
1. Pet. 1.  
Heb. 9.

paschatis aut Agni nemini profuit, sed oportuit singulos vesci hoc cibo: Sic etiam aliena fides ad reconciliationem cum Deo nemini conducit, sed necesse est vnumquenq̄ credere, quod Christus pro ipso carnem suam tradiderit, & sanguinem fuderit in remissionem peccatorum, sicut scriptum est: Iustus Heb. 10. fide sua viuit. Nam sine hac fide, nec Rom. 1. Euangelium audire, nec Baptismo, ab- Abac. 2. solutione & cena Domini vti quicq̄ Gal. 3. conducit ad salutem,

Etsi verò nunquam hac fide carere possumus, tamen imprimis necessaria est tunc, cum opus est auxilio nobis aduersus Diabolum insidiatorem, qui 1. Pet. 5. tanquam leo rugiens nos inuadit. Itaq̄ Deus præcepit vt vetus pascha ederetur eo tempore, quo percutiens Angelus peragrabat vniuersam Aegyptum, & primogenita occidebat. Hic percussor diabolus, instructus, non solum corporali, verumetiam æterna peste, Exod. 12.  
nulla



## Explicatio de

Ioan. 6.

Zach. 13.

Matt. 26.

Marc. 14.

nulla alia ratione repelli potest, nisi cum manducamus carnem filij Dei: hoc est, credimus, hanc victimam nostra causa mortem tulisse, vt nos salui essemus. Sed maximè in his verbis obseruanda sunt illa, quæ ad præparationem Agni pertinent, de qua Deus præcepit, vt ad ignem torreretur. Hoc verbum totam passionem Christi comprehendit, Ignis enim ille, quo tosta est hæc ouicula aut hic Agnus, est ira Dei, percutientis pastorem pro grege, iuxta prophetiam Zachariæ: Huius plagæ fuerunt omnes, quas tullit mediator ab eo tempore, quo ingressus est hortum & angustias incredibiles, vsq; ad illud tempus, quando patri suam animam commendans, vitam clausit. Præcipua tamè pars ignis ad quæ tostus est hic AGNVS, est passio in cruce, cum & animo & corpore valde est passus, vel cum plurimum laboraret, non solùm Deo auerso, verum etiam omnibus creaturis & durantibus tenebris

tenebris trium horarum, neq; enim mors per se profuisset nobis ad salutem, sed huiusmodi mors, ad quam omne genus supplicij cōcurreret, vt fieret precium æquiualens pro debito, quod soluendum erat. Hinc ortæ sunt illæ voces miserabiles: *Mi Deus, mi Deus, quare me dereliquisti?* *Math. 27.* *Psal. 21.* Factum est cor meum tanquam cœra liquefcens, exaruit virtus mea tanquam testa, & lingua adheret faucibus meis, cuiusmodi quærelarum pleni sunt Psalmi, qui satis indicant acerbitatem passionis Christi. De qua etiam atq; etiam est cogitandum, quò magis appareat beneficij magnitudo ex comparatione illorum cruciatuum, à quibus per redemptorem nostrum erepti sumus, & hæc meditatio in omnes partes nobis est profutura. Primum ad agnoscenda mala nostra: nos enim hæc omnia sine vllō sine pati debuimus, quæ Christus passus est. Deinde ad agnoscendam pec-

D cati

## Explicatio de

Genes. 6. cati atrocitatem, quo tantum pœnarum  
Ioan. 3. nobis accersuimus. Tertiò, vt hinc  
Rom. 5. intelligamus iræ Dei magnitudinem.  
Quartò, misericordiam eiusdem, qui  
maluit vel filium vnigenitum pleste-  
re, quàm nos in æternum perire. Quin-  
tò, vt credamus tantum precium suf-  
ficiens esse, ne quid amplius desidere-  
mus. Postremò, vt redempti à peccato,  
deinceps non seruiamus peccato, vnde  
redempti sumus. Non enim secunda-  
riò iam morietur pro peccato. Ex his  
mysticus sensus considerandus est. Vt  
enim carnes assæ comedebantur: Sic  
agnoscamus iudicium iræ diuinæ ad-  
uersus peccata, quæ ignis consumens  
est, & Christum pendentem in cruce  
torrebat.

Quòd verò ad panes azymos atti-  
net, nulla alia significatio fuit: nisi ipsi-  
us A G N I noui Testamenti, sicut in-  
terpretatio Christi docet. Seipsum e-  
nim appellat pané qui de cœlo descen-  
dit,

Ioan. 6.

dit, & affert vitam æternam. In hoc enim genere manducationis, quæ est spiritualis, idem Christus est omnia, cibus & potus: Ita, vt extra eum nihil sit quod nos viuificare atq; in æternum seruare possit. Erat igitur opus panibus in fermentatis in veteri paschate edendo, vt typus cum re ipsa congrueret. Iubetur ergò nobis quoq; hic & **1. Cor. 5.** alibi, vt panes absq; fermento veteri, malitiæ & nequitia comedamus. Fermentum autem significat doctrinam humanam, qualis erat Phariseorum & Saducæorum, sicut ex verbis Christi apparet. Nam ipse Dominus de hoc fermento veteri discipulis dicit: **Luc. 12.** Caue te à fermento Phariseorum. Et postea **Marc. 8.** interpretatur, fermentum Phariseorum esse doctrinam, &c. Polluitur autem doctrinæ Christi puritas, si quid alienum admiscetur, eoq; facto redditur Christus inutilis ad salutem. Ita enim omnino necesse est agi pœnitentiam

D ij tiam

## Explicatio de

tiam, ita credi & Deum coli, sicut Christus docet, non aliter. Itaque non Christus prodest his, qui impiorum doctorum doctrinam sequuntur, vel aliorum haeticorum. Addunt enim fermentum humanarum opinionum, quo tota massa corrumpitur.

I. Cor. 5.  
Gal. 5.

Eodem pertinet mandatum de lactuca amara, cum enim totus cibus asferens vitam aeternam, sit solus Christus fide apprehendendus, lactucam quoque amaram de eo necesse est exponi. Est enim Christus nouo quidem homini, hoc est, spirituali suauissimus, sicut est caro Agni & panis azymus esurientibus valde gratus, sed idem Christus carni est admodum amarus, propterea quod affert secum crucem & afflictiones non mediocres, sicut ipsemet praedixit discipulis suis. Nam Matthaei 5. Nominat eos pauperes spiritu, lugentes, obnoxios persecutioni, maledictis & morri. Huc pertinet concio Matth. 10.

Item

Item Ioan. 4. 15. & 16. Non enim aliter possunt homines in possessione beneficiorum Christi manere, nisi vna cum eo patiantur: est enim mandatum eius immutabile: Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia ego mitis sum & humilis corde. Item, qui vult me sequi, is tollat crucem suam ac ita sequatur me.

Matt. 11.

Mar. 8.

Non solum autem cogitandum est, quam graue onus sit carni ferre crucem Christi, verumetiam quam salutare sit nouo homini. Quantum enim mortificatur homo vetus, vt Paulus ait: Tantum accedit virium nouo homini, sic amara lactuca quanquam per se ingrata erat: Tamen commendabat cibum Agni paschalis & fastidium etiam edebatur. Hac imagine Deus commendauit afflictiones nostras, quas cuique suas imponit. Medentur enim fastidio doctrinae de Christo, redduntque eam gratiorem, id quod res secundae non faciunt,

Rom. 8.

Colof. 3.

1. Pet. 3.

D iū unt,

## Explicatio de

unt. Sunt quidem & aliæ causæ, propter  
quas Ecclesia cruci subiecta est: sed ta-  
men hæc est huic loco maximè consen-  
tanea, quòd ideò exercentur sancti, ut  
cibus spiritualis, hoc est, Christus cum  
suo verbo sit eis gratior, atq; ut seruen-  
tur contra fastidiũ, quod est pestis fidei  
& salutis humanæ. Quamobrem si nullæ  
aliæ causæ essent, vel propter hanc vnã  
æquiore animo aduersa omnia ferenda  
essent. Quantò magis præstanda est pa-  
tientia, cum multæ & magnæ sint uti-  
litates afflictionum nostrarum. Itaque  
Luc. 21. Christus ait: In patientia vestra possi-  
debitis animas vestras. Quòd si cibos  
amaros diligimus, quibus adiuuatur  
iucunditas aliorum ciborum corporali-  
um, cur auersamur afflictiones, quæ red-  
dunt nobis beneficia filij Dei suauiora.

Hæc assiduè sunt cogitanda pro-  
pter ingentem necessitatem. Sicut e-  
nim fieri non potuit, ut quisquam re-  
ctè ederet vetus pascha, sine azymis  
panibus

pānibus & amaris lactucis: sic nemo potest edere nouum pascha, hoc est, verè credere in Christum & beneficijs eius frui, sine cruce, & fuga alienæ doctrinæ, quæ non per omnia conuenit cum verbo de Christo. Itaq; cauendæ sunt illæ blanditiæ tanquam præsentissimum venenum, quibus sibi molles ac delicati homines persuadent, quòd possint credere in Christum, etiamsi astutè fugiunt crucem. Act. 14.

T E X T V S.

Non comedetis crudum nec aqua coctum sed igni assatum.

E X P L I C A T I O.

**H**oc præceptum, præsertim quod ad primā partē attinet, prorsus superuacuum esse videtur. Quid enim opus fuit crudam carnem prohibere, cum nemo hac vescatur? Deinde cum iam manifestè præceperit Deus, Agnum paschalem

D iij igne



## *Explicatio de*

igne torrendum esse, videtur & id præter necessitatem additum esse, ne coquatur aqua. Sed quidquid nobis videtur, omnino statuendum est, nullum mandatum aut verbum Dei sine magna causa dictum esse. Videtur imprimis hic locus maxime congruere ad passionem Christi. Sicut enim præcipitur hîs Israëlitis, ne Agnum suum paschalem crudum aut aqua coctum, sed ad ignem assatum comederent: Sic sacratissima Christi passio non oscitanter, sed diligenti studio consideranda est, benè masticanda & ruminanda, tum demum grati saporis est, tum confortat & vegetat, tum penetrat ad omnia nostra viscera, ita, vt homo quasi in Christum crucifixum transformetur muteturq̃. Reijciuntur autem hic duæ manducationes, altera crudi Agni, altera, si caro cocta, non tosta comedatur.

Crudam carnem Christi edunt illi, qui nolunt eum vnâ cum cruce & mor-

re amplecti, ( respexit enim in tota hac historia aut potius institutione, magis ad nouum Testamentum, quam ad vetus, ) qua in opinione erat Petrus, qui dehortabatur eum, ne pateretur. Hic, etiamsi habet Christum : tamen nullum ex eo fructum percepisset, si in hac opinione permansisset. Neque verè credebant mulieres in eum, quæ dolebant eum crucifixum & mortuum esse, neque reliqui discipuli. Quamobrè ipse hunc errorem cõfutat, ostendens, quòd prius oportuerit se pati & mori: deinde prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo. Breuiter, Iudaica opinio de Christo regnante sine humiliatiõne, quam & nunc tenent, est manducatio crudi A G N I, hoc est, Christi. Non autem solum Iudæi carnales in hoc errore fuerunt, verumetiam isti eodem modo errant, qui volunt frui beneficijs Christi sine pœnitentiã.

Sicut autem Christus non prodest

D v ijs,

## Explicatio de

his, qui non apprehendunt eum in humilitate, passum & mortuum: sic etiam non prodest illis, qui non de tota passione eius ita sentiunt, sicut Deus præcepit. Sic enim percussit filium, ut totam iram suam in eum effuderit: Nec alia causa accesserit, quæ esset quasi adiutrix ad Christum torquendum, sicut in coctione aqua adiuuat ignem in coquendo cibo. Sunt ergo illi, qui edunt carnem Christi coctam non assatam, qui statuunt suas etiam afflictiones aliquid addere virium ad passionem Christi, quasi non sola eius passio sit sufficiens ad iram Dei placandam. Ex hoc genere fuerunt illi, qui tempore Apostolorum docuerunt, non satis esse, si quis crederet Christum pro se passum & mortuum esse, nisi circumcideretur & legem Mosi seruaret. Hos ergo palam damnat Paulus ad Galathas potissimum scribens,

Act. 15.

Gal. 2.

.&

& alij Apostoli: cùm nollent Christũ ad ignem assatum, sed aqua coctum comedere. Ira reijciuntur primi operarij in vinea laborantes, quod suos quoq; labores valere volunt apud patrem familiãs, nec soli gratiã eius omnia tribuebant, propter meritum alienum. Eademque de causa irascitur **DEVS** illis apud Matthæum, qui exprobrant ei suas virtutes, quasi non sola morte Christi sit confidendum, sed proprij etiam virtutibus.

Sed & alio modo hunc locum D. Hieronymus, scribens de esu Agni paschalis, exponit, cuius sensum huc adijciam. Non crudas carnes Agni, neq; elixas, hoc est, aqua coctas, comedas: illud est inquit: ne scripturas diuinas (quæ verè carnes sunt) aut iuxta historiam tantũ intelligamus, & sicut crudas eas assumamus in cibum: aut rursus secundum hæreticos, quibusdam allegorijs & nubilo interpretationis ad

## *Explicatio de*

ad peruersa quæque dogmata deriuemus, & eneruemus eas: & succi veritate sublata, umbras quasdam & imagines effundamus: Sed intelligamus eas, & iuxta historiam, sicut scriptæ sunt: & nihilominus eas Spiritus sancti excoquamus ardore, & quidquid in illis secundum literam videtur incongruum esse vel clausum, spiritali expositione pandamus, hæc ille. Verùm prior sensus magis congruus ad hunc locum esse videtur.

Est alius, qui hunc locum de Christo sic exponit, mystico sensu. Quem admodum, inquit: Agnus iste paschalis nec crudus, nec aqua coctus, sed assus igni comedebatur: ita Christus nec sine iudicio, nec tamen iusto iudicio, sed iniusto condemnatus est, sicut etiam, nec omnino cruda, nec benè cocta est caro assa, sed festinanter fit, & manducatur cum pane azymo, qui & ipse festinanter pinsitur, nec mora fermenta-

Festinan-  
ter pinsi-  
tur panis  
azymus.

menta-

mentationis indiget : ita & de Christo nullam rectitudinem expectarunt iudicij, imò festinanter condemnatus fuit.

Per amaras verò herbas, inquit : cum quibus Agnus ille comedi solebat, designatur calamitas & amaritudo, quæ damnationem illam iniustam subsequuta est.

TEXTVS.

Caput, pedes et intestina etiam comedetis, nec relinquetis ex eo quicquam vsque ad lucem : quòd si quid reliquum fuerit, igne comburetis.

EXPLICATIO.

Sicut fides vera, nullum alium obiectum habere potest, nisi Christum pro nobis crucifixum, cui soli debitus honos redemptionis & satisfactionis tribui

## Explicatio de

tribuitur, ita, vt non sit diuisa ac partim pendeat à Christo, partim ab aliorum sanctorum meritis, aut proprijs nostris virtutibus: sic eadem fides, totum Christum apprehendere debet, vt primùm personam ipsam agnoscat esse verè Deum & hominem: Ita, vt hæ duæ naturæ separari se ipsa non possint: sicut & Hieronymus ibidem de esu Agni, per caput & pedes in Christo duas naturas, Deum & hominem intelligere vult.

Deinde hic de officijs Christi rectè intelligendum est, atq; sentiendum, vt amplectamur eum, tanq; pontificem ac regem nostrum æternum. Ex quibus duobus officijs prius administrauit pōtificium inter nos & Deum. Primùm enim fuit interpres ad nos missus: sicut inquit Ioannes: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ipse fuit interpres. Huc referendum est totū ministerium Christi,

Per caput Deū  
per pedes hominem.

1. Tim. 2.

1. Ioan. 4.

sti, quod inter Iudæos administrauit per doctrinam & miracula innumerabilia. Deinde à nobis ad Deum conuersus, illi se obtulit pro peccatis mundi, in reconciliationem, & huius sacrificij fructum per intercessionem applicat ecclesiæ verè credentium. Ita re composita inter Deum & hominem, adijt regnum, quod accepit à patre iam placato, contra Diabolum, omnesq; alios inimicos suos. Administrat autem hoc regnum suum mirabili ratione, quam nemo intelligit, nisi qui credit in eum, estq; per fidem insertus regno eius, neq; enim vlla vi corporali præliatur contra & aduersus Diabolum & mundum. Ecclesiam quoq; suam ita finit affligi, vt vinci, ac funditus deleri videatur. Ad vtrumq; hoc officium gerendum, opus erat tali persona, quæ esset simul Deus & homo. Neutrum enim potuit administrari per alteram tantum personam aut naturam. Neesse ergò fuit, vt mediatos



## Explicatio de

diator simul verus Deus & verus homo esset. Tertio totum verbum Christi est accipiendum, eodemque ordine, quo traditum est. Vt enim Agnus paschalis totus comedebatur: sic doctrinam de Christo integram seruemus. Primum enim subscribendum est toti legi, vt agnoscamus nos in omnibus preceptis reos esse æternæ iræ & maledictionis diuinæ. Deinde prouocandum à summo iure legis, ad æquitatem Euangelij, quod promittit & offert tum multis, tum singulis agentibus poenitentiam, remissionem peccatorum omnium, in nomine Christi, si modo credunt. Postremo seruiendum est Deo in noua vita & iusticia, iuxta idem verbum Christi. Sic vt nullam partem eius negligamus: vna enim corrupta aut neglecta totum verbum, totusque Christus fit inutilis ad salutem. Nam qui in vno verbo fit inobediens Christo, is totum Christum simul reijcit. Hanc ob causam præcepit

Acto. 10.

Iac, 2.

præcepit etiam illum veterem Agnum totum edi, nec ullam partem relinqui, ne in crastinum quidem. Aut enim totus Christus unâ cum toto verbo suo est accipiendus, aut actum est de salute. Præcipuè tamen hæc verba accipienda sunt, de integra fide, quæ omnes promissiones amplectitur datas de Christo, & comprehensas in verbo Prophetarum ac Apostolorum. Propterea Paulus non contentus illorum fide; *Acto. 19.* qui tantum norant Baptismum Ioannis de venturo Christo, iubet eos credere, quòd iam sit exhibitus, & opere redemptionis perfectò, sedet ad dexteram Dei, iam ultimum duntaxat officium sacerdotij sui administrans, interpellando pro nobis & munus regium contra tyrannidem inferorum exequendo.

Quòd autem reliquias Agni non consumptas, præcepit Deus postridiè comburi, videtur crimen blasphemiae  
E significasse,

## Explicatio de

significasse, quòd *ij*, quicumq; non totum Christum integra & sincera fide complectuntur, denuò crucifigunt eum.

**Phil. 3.** Ac tales Paulus quoque ad Philipenses nominat inimicos crucis Christi. Volunt enim frui Christo, quatenus delectat, sed eius humilitatè fastidiunt. Volunt siquidè cum Christo exaltari, sed nolunt cum ipso deijci & humiliari,

**Ioan. 13.** iuxta verbum eius: non est seruus maior domino suo: quo ex genere sunt & illi, quos mercenarios appellat Ioan. 10. Necessè est enim ecclesiam per omnia membra sua conformem fieri Christo, vt prius cum eo patiantur, ac sic demum ornentur eadem gloria, in quam ipse ingressus est, prius exhaustis omnibus ærumnis, quæ illi propter nos impositæ fuerat. Quamobrem vt nos quoq; gloria Christi fruamur, totum eum cum toto verbo eius, toto pectore amplectamur, etiam cum verbo crucis, ne dicamus Christum denuò crucifigere.

Porro

Porro quòd totus cum capite & Figura  
 pedibus & intestinis mandatus est A- obseruā-  
 gnus ille coqui & comedi, & post co- da est.  
 mestionem os ex eo non confringi, hic  
 quoque figura consideranda est. Insi-  
 nuat enim mandatum hoc, quòd nec  
 in occisione Christi, membrorum ali-  
 quod cæsum est, imò suspensus cum Ioan. 19.  
 omnibus membris fuit, nec post oc-  
 cisionem os aliquod eius computruit,  
 sed totus & integer resurrexit.

Et ex his omnibus quæ iam expli-  
 cata sunt, planissimum est, quod Chri- t. Cor. 5.  
 stus verum sacrificium fuit & vera victi-  
 ma pro mundi vita, verumque pa-  
 scha, per veterem illum Agnum præ-  
 figuratum. Quæcunque enim circa ve-  
 terem illum Agnum facta & præcepta  
 fuerunt, in hoc verò nostro AGNO  
 completa sunt. Ad hunc ergo no-  
 strum AGNVM nos conuertamus.

*Explicatio de*  
TEXTVS.

Sic autem comedetis illum :  
Lumbi vestri succincti sint et pe-  
des calceati , et baculi in manibus  
vestris, sitisque similes illis qui ad  
iter festinant.

EXPLICATIO.

**H**ucusq; præceptum est, quales Agni  
carnes comedere debeamus: Nunc  
iubetur, quo à nobis habitu comeden-  
dæ sunt. Lumbi vestri, inquit: accincti  
sint, pedes calceati, & baculi in manibus.  
Hæc mandata iudicat humana ratio,  
non satis conuenire diuinæ maiestati,  
vt sic sit Deus de rebus adeò, vt vide-  
tur, parui momenti, sollicitus; Nem-  
pe de cinctura lumborum, calceis, ba-  
culis, posituq; corporis. Sed Deus de  
industria illudit humanæ sapientiæ per  
verbum humile, id quod prodest ijs, qui  
timent eum, vt discant: nihil esse con-  
temnen-

gemnendum, quamuis exiguum, quod mandat Deus. Sub hoc enim humi-  
li verbo latet infinita vis & sapientia  
eius, salutaris nimirum omnibus qui  
obediunt. Vfus autem horum præce-  
ptorum in veteri populo fuit, vt con-  
firmaretur de promissione, & crederet,  
ita propè adesse tempus exeundi ex  
Aegypto, vt opus sit eum iam accin-  
ctū esse itineri, ne sibi ipsi postea in mo-  
ra esset. Tanta enim trepidatio per om-  
nem Aegyptū exorta est, vt Aegyptū vl-  
trò cogerēt Israëlitas quamprimūm exi-  
re, ne quid fortè amplius pati cogerētur.

Sed hæc eadem fuerunt imagines  
rerum maximarum in nouo Testamen-  
to, in quo etiam mandauit Christus di-  
scipulis suis: Vt lumbos suos non tan-  
tūm semel in anno, sed perpetuo cin-  
ctos haberent, quod quidem omnibus  
nobis est necessariū. Significat enim per  
hoc, nos esse in hac vita viatores, exules  
& non habentes hic ciuitatem manen-  
tem

Luc. 12.

Heb. 13.

## Explicatio de

Mich. 2.

tem. Vt ergo Israelitæ comedentes Agnum paschalem, lumbos accingebant, calceamentis induti erant, & baculū manu tenebant, vt commonefierent, se esse viatores: Sic, qui Christū AGNUM paschalē quotidie comedimus, hoc est, in eū credimus, nos viatores & peregrinos esse meminerimus, & liberationem ac egressum ex hoc mundo i promissam æternæ vitæ palestina, expectemus. 1. Pet. 2.

Gal. 5.

Rom. 13.

Dilecti, inquit: obsecro vos, tanq̄ aduenas & peregrinos, abstinete à carnalibus cōcupiscentijs, quę militāt aduersus animā. Hic aduenas nos Apostolus vocat.

Sed nec dubium est, vt ad figuram redeā, quin ritu isto Iudaico, eam ceremoniam in edendo Agno paschali cum discipulis, Christus peregerit stando, ac, cinctus, & baculum tenens. Vsi autē sunt Euangelistæ vocabulo discumbēdi, pro ad mensam accedere, & peractis ritibus, præceptis, haud dubiè consedit, & dum ita simul comedūt, Christus Testamen-

rum

tum suum condit, & cæremoniã nouam  
orditur atq; instituit, abrogans priorem  
illam Agni paschalis comestione, & no-  
uam præcipiens: idq; tali modo: Sump- **Math. 26.**  
to enim pane, benedixit & fregit, ac dat **Mar. 16:**  
discipulis suis, inquit: Accipite co- **Luc. 22.**  
medite, hoc est corpus meum, quod pro **1. Cor. 11.**  
vobis datur: hoc facite in mei, hoc est,  
in mortis meæ cõmemorationem, &c.

Cuiusmodi autem sit cinctura noui  
Testamenti, vt ad propositum reuertar,  
totaq; adeò armatura, Paulus egregie **Ephes. 6.**  
docet. Neq; est similis illi veteri, quæ  
fuit corporalis, pro ratione illius Testa-  
mèti, quod tantũ corporaliũ bonorum  
promissiones habebat, sed spiritualis. I-  
taq; hãc cincturam, q̃ Christus requirit  
in discipulis suis, appellat Paulus verita-  
tem, hoc est, studiũ ingens veræ & sanæ  
doctrinæ, veram inuocationẽ, & alia ex-  
ercitia spiritualia, vt verè credamus nos  
esse in gratia propter Christum, vt verè  
seruiamus Deo in noua vita & iusticia.



## Explicatio de

- Ephes. 6,** Calceos autem exponit Paulus, de Euangelio pacis. Hoc enim efficit pedes nostros firmos, ne labantur, cum videlicet incedimus in fide promissionum Euangelij, de pace inter nos & Deum conciliata, & inimicitijs in æternū sublatis: Baculum nominat Paulus gladium spiritus, qui est verbum Dei, quo solo tueri nos possumus aduersus Diabolum & regnū eius, quod nullis viribus, nisi per verbum Dei fieri potest. Nam si prouocat nos Diabolus ad peccandum, illico obijciendum est mandatum Dei contrarium: Sicut fecit vnigenitus Dei filius, Diabolo enim suadenti, vt se de templo præcipitaret, opposuit mandatum Dei contrarium: Non tentabis dominum Deum tuum. Rursum cum ille adorari vellet, opponit Iesus aliud mandatum: Dominum Deum tuum adorabis eiꝰ soli seruiēs. Itaq; si prouocat nos ad ocium & negligentiam, opponenda sunt præcepta de labore & officio

**Ephes. 6,**

**Matth. 4**

**Deut. 6,**

officio faciendo. Quodsi terret nos comminationibus intempestiuis, confugiamus ad promissiones gratiæ. Sic igitur eodem baculo vtendum est ad omnia, vbicunq; aliquid periculi ostenditur. Est enim baculus Dei, de quo Psalmo 22. inquit mens pia: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Hunc enim solum veretur diabolus, alioqui inuictus, quod ad omnia alia arma pertinet.

Præceptum autem de statione & festinatione nos monere debet, vt semper ad laborem & cursum parati simus. Vocamur enim à Christo, qui nostrum pascha est, ad labores multos, & quidem maiores, quàm fuerunt illi, quos filij Israël tulerunt. Ingredimur enim, quàm primum incepimus manducare nostrum pascha, hoc est, credere in filium Dei pro nobis mortuum, non in desertum, vbi corpora tantùm nostra exerçantur fame, siti & alijs id genus

## Explicatio de

incommodis, sed in prælium acerrimū cum toto regno inferorum. Quamobrem Paulus quoq; nos iubet, nō sedere aut iacere, sed stare paratos ad pugnandum per armaturam Dei. Et sicut filij Israël festinarant in manducatione sui Agni, propter liberationem corporalem, ad terram Canaan, cuius commoda corpori tantū iucunda erant: Ita nos hilari animo & magno cum desiderio nostrum A G N V M manducare debemus, qui nobis adfert liberationem & vitam æternam. Cuiusmodi desiderium ipse prædicat, cum ait: A diebus Iohannis Baptiste, regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Ac si contra humanum hostem iturus quispiam, magno & præsentis animo esse cogitur, quantò id magis necessarium est nobis, qui bellū capitale indiximus principi totius mundi. Debemus ergò semper esse in statione & festinatione, ac nunq̄ arma deponere, cum diabolus nunq̄ quiescat.

Tex-

Ephes. 6.

Math. II.

TEXTVS.

Est enim pascha seu phase ( id est, transitus Domini,) Transibo enim ea nocte per Aegyptum, et percutiam omne primogenitum hominum et pecudum, iramq; meam ostendam ego Dominus in omnibus Dñjs Aegypti.

EXPLICATIO.

**H**ic locus est principalis in hac tota narratione. Docet enim de usu ceremoniæ diuinitus institutæ, quam Deus nominat Pascha seu Phase, id est, transitum, non populi sed suum: & cuiusmodi esset ille transitus futurus, nimirum valdè tristis Aegyptijs, qui non erant populus Dei. Flos enim Aegypti tùm hominum tùm pecudû perijt, hoc transitu valde repentino. Lætus autem filijs Israël, ex quibus ne vnus quidem interfijt.

## Explicatio de

interijt. Non quod digniores essent Aegyptijs, sed quia Deus vltro propter gratiam & veritatem praestitit eis hoc beneficium, iuxta promissionem, quam addidit mandato de postibus sanguine Agni conspergendis. Verum Ecclesia noui Testamenti per suum AGNVM paschalem, multo praestantiora beneficia consequitur. Etsi enim cruci & magnis ærumnis subiecta est: Tamen per sanguinem Christi liberata est ab ira Dei & morte æterna: ceteris omnibus pereuntibus vnâ cum Pharaone, id est, diabolo, in æternum. Et hæc liberatio communicatur singulis in Baptismo & alijs sacramentis, si agunt pœnitentiam & credunt foederi diuino, cuius causa est non nostra dignitas, sed infinita Dei gratia, quam

Rom. 5. sanguis Christi impetrauit. Hoc enim  
Ephes. 2. sanguine singuli conspergimur in Ba-  
Marc. 16. ptismo, absolutione & cœna Domini,  
Ioan. 20. vbi nostri postes tinguntur, hoc est cor-  
pora

pora nostra lauantur, teguntur & pa-  
scuntur. Et tamen his elementis sub-  
est infinita potentia sanguinis Christi,  
ad corpora & animas nostras saluandas:  
Sicut I. Ioan. I. scriptum est: Sanguis Je-  
su Christi purificat nos ab omni pec-  
cato. Ita seruantur quicumq; credunt  
sacrificium filij Dei suum esse: cæteris  
omnibus manentibus in morte æter-  
na. Et sicut impij tùm corporibus tùm  
animis æterna supplicia patientur, pro-  
pterea quòd corporibus & animis pec-  
cauerunt: Ita credentes in filium Dei  
resurgent integri, ad vitam æternam.  
Itaq; non solùm verbo prædicatur ver-  
bum gratiæ, vt ab animis tantùm per-  
cipiatur, verumetiam corporibus ap-  
plicatur in sacramentis, quæ videntur  
& tanguntur corporibus: Quò minus  
dubitemus, nos totos saluos fore. Pro  
toto enim homine passus est integer  
Christus: tùm corpore, tùm animo,  
totusq; Christus corpore & animo re-  
uixit,

## Explicatio de

uixit, id quod præcipuum est argumen-  
tum, quo corporum resurrectio proba-  
tur. Olim quidem sanguis Agni cor-  
poralis, solis corporibus Iudæorum  
profuit: Huius verò A G N I noui san-  
guis totum seruat hominem. Alioqui  
nihil opus fuisset eum pati supplicia  
corporis: si corpora essent peritura. De-  
inde cùm idem Christus sit æternus, sa-  
crificium quoque huiusmodi obtulit,  
quod valet in æternum, quò maior sit  
nostra consolatio, quicumq; credimus  
eum pro nobis & mortuum esse & re-  
surrexisse, & vt impij magis terreantur.  
Cùm enim nolint per Christum animo  
& corpore salui esse, cogentur in vtraq;  
natura, tùm animi tùm corporis sup-  
plicia ferre sempiterna. Manent enim  
in ira Dei & maledictione omnes, quot-  
quot non credunt in filium Dei, sicut  
Ioan. 3. scriptum est, Ac tales erant om-  
nes homines natura, sicut lex clarè do-  
cet, nullis omnino exceptis quan-  
tumuis

tumuis præstantibus: sicut in Aegypto nullis primogenitis pepercit Deus, ne Dijs quidem, hoc est: Regibus & principibus. Simili enim pœna Dominus *Sap. 18.* cum seruo afflictus est: & popularis homo regi similia passus est.

Quia verò hoc in loco primum occurrit vocabulum pascha, quod postea quoque in aliquot locis positum est, sed in diuersa significatione, ideo de hoc vocabulo pascha explicandum est aliquid, vt eius significationes cognoscantur, tota enim narratio huius capituli ad hoc vocabulum spectat. Ideo si cupis christiane lector significationes huius vocabuli cognoscere, dicam sic: Quòd Pascha seu Phase, hic in hoc loco significat transitum, vt iam dictum est, & textus ipse habet, & sic iuxta dialecticam expositionem erit in prædicamento actionis. Est enim transitus Domini, vt hic inquit: Transibo per Aegyptum. Secundo, significat ipsum Agnum pascha



## Explicatio de

paschalem, seu totam actionem immo-  
landi & vescendi Agni, verbo Dei or-  
dinatam. Cuius fundamentum est to-  
ta illa cæremonia seu actio diuinitus  
ordinata, vt postea dicitur in alio tex-  
tu: Immolate pascha seu phase, id est,  
Agnum. Et Matthæi 26. dicunt disci-  
puli: Vbi vis præparari vt comedas Pa-  
schat id est, Agnum paschalem. Tertiò,  
significat diem paschatis, in prædica-  
mento Quando, vt tandem sequitur  
in vltiori textu, vbi dicitur: Est pa-  
scha Domini, &c. Et item Matthæi 26.  
Scitis, inquit Christus, ad discipulos:  
quia post biduum fiet pascha, id est,  
tempus seu festum, quo ritus Agni pa-  
schatis celebrandi sunt. Hæc paucis de  
vocabulo pascha.

### T E X T V S.

Et sanguis erit vobis in signum  
per domos vestras, et cum vide-

ro sanguinem, præteream vos, nec plaga vos attinget cum vestro interitu, quando percussurus sum Aegyptios.

EXPLICATIO.

**H**Aec verba clarius ostendunt discrimen inter Aegyptios & populum Dei. Neq; enim seruati sunt filij Israël alia de causa, nisi propter sanguinè eius Agni, qui mactatus est ex mandato Dei cum promissione, quòd has domos præterire velit, quæ sanguine Agni notatæ essent. Verùm hic idem sanguis, ut sæpè iam dictum est, alium sanguinem multò præciosiorem significauit, quem necesse erat fundi, ad auertendam iram Dei & mortem æternam, non pro vno tantùm populo, sed pro omnibus, neq; enim sine sanguine potuit vllò modo placari ira Dei, & mors æterna tolli. Nam Deus non solum misericors est,

F verùm

## Explicatio de

Verumetiam iustus, neque contra iusticiam suam potuit vllam misericordiam exercere erga genus humanum. Oportuit igitur iusticiam eius prius satisfieri, quae postulabat, vt vel ipsi homines in aeternum luerent culpam suam grauissimam, sicut diabolus luet suam, vel vt aliquis precium sufficiens pro hominibus solueret. Lata enim erat sententia quae reuocari nullo modo poterat, absque violatione gloriae Dei. Quocumque die comederitis ex hac arbore, morte moriemini. Cum autem supra omnium creaturarum vires esset, tantum precium soluere, quantum pro vniuerso genere humano soluendum erat, vnigenitus Dei filius ex totius diuinitatis admirando consilio, ad hoc longe difficilimum negocium administrandum delectus est, vt per eum iusto Dei iudicio, nostro nomine satisfaceret, atque ita ianua misericordiae patefieret, posteaque ira Dei placata & per sanguinem mediatoris poenitus extincta est.

Posset

Posset auté hic quæri, cur Deus eúm sit omnipotens & liberú agens, non aliter hominè liberauerit, quàm per filium suúm & quare necesse fuerit, vt mediator simul verus Deus & verus homo esset? Respõdet iusticia Dei: Quia homo peccauit, ordo ergò iusticię diuinę postulat, vt aliquis ex genere hominũ satisfaciat, vnde necesse est, vt mediator humanam naturã assumat. Deinde, quia nulla creatura finita, ne quidẽ angelica, infinitæ iusticię Dei perfectè satisfacere potest, necesse est, vt mediator preciũ soluens, sit Deus infinitus. Nõ enim existimemus, Deum quadã futilitate aut leuitate peccata remittere, sed sciamus multò facilius ipsi esse mundum & omnes creaturas ex nihilo creare, quàm aliquid contra suæ iusticiæ normam agere.

Quotiescunq; igitur de misericordia Dei cogitamus, nunquam omittenda est cogitatio de iusticia eiusdem, quam tamen non exercuit erga nos, quibus erat planè intollerabilis, sed erga

## Explicatio de

filium pacificatorem, ita demum certi erimus de misericordia, simulq; retinebimus timorem ad pœnitentiam necessarium. Ideò enim sunt homines securi, quòd tantùm in misericordiæ promissiones intuentur, ac iusticiæ Dei in punièdo peccato profus obliuiscuntur. Neq; enim potest Deus vllò modo ferre peccatum, quod summo odio prosequitur, nec prius potuit esse misericors, sine precio integrè soluto pro peccatis nostris. Ingens est auté ingratitudo aduersus filium Dei, cui peccatum nostrum dolores incredibiles attulit, & mortem ipsam: quando temerè indulgemus peccato. Atq; hoc ipsum est, quod paulò ante præcepit Deus, de integro Agno edendo, vt totum Christum cum humiliatione & exaltatione sua compræhenderemus, ac primum omnium de ira Dei iustissima cogitarem sedulò. Nihil enim pepercit filio, sed integras pœnas pro culpa toti-

us mundi de eo sumpsit, ac si esset tantus peccator, quantus ille, qui vnus omnium hominum peccata admisisset. Totum ergò sanguinem suum quantumcumq; habuit, effudit ex corpore suo, & omnes cruciatus animi perpeffus est, quicumq; in hominem vel maximè sceleratissimum cadere possunt.

Cùm ergo audimus in Euangelio de particula gratis, non est sic cogitandum, quasi nullum omnino precium pro peccato solutum sit Deo, sed quòd sine omni nostra satisfactione redempti sumus, atq; à debito vniuerso liberati. Nam ipse redemptor tantum precium persoluit, quantum potuit esse maximum, ita vt seipsum pro nobis subiecerit iræ Dei & maledictioni, totamq; infernalium suppliciorum sententiam nobis præparatam, penitus exhausserit. Hæc si ita, vt æquum est, seriò nobiscum meditabimur, nequaquam indulgebimus peccatis, nisi prorsus perdit, ac ab

## Explicatio de

omni pietate alieni erimus. Neque etiam particula gratis excludit nostram obedientiam erga Deum & saluatorem nostrum, qui nos in regnum suum transtulit: non ut maneremus in peccato, sed ut iusticiæ seruiremus. Hanc quidem particulam gratis, necesse est retineri, ut debitus honos redemptionis soli filio Dei tribuatur, conscientiaque in vera pœnitentia certam & firmam consolationem habeant. Excludit enim hæc particula reliquas virtutes, non ut non adsint, sed ut non sint causæ reconciliationis, & transferant causam in solum Christum mediatorem fide apprehensum. Ideo autem beneficia Christi gratis offeruntur per Evangelium, quod ad redemptionem nostram, ut dictum est, nullum omnino nostrum precium accessit, præter illud quod soluit redemptor per sanguinem suum, quem ubi videt Deus, ibi præterit eum ira sua, & regit notatos sanguine filij

Particula  
gratis.

Rom. 3.  
Gal. 2.

filij sui per misericordiam, eosq; seruat  
in aeternum. Hoc igitur vnū ad nos ser-  
uandos sufficit, videlicet sanguis filij  
Dei, sed oportet nos pati, vt eo cōsper-  
gamur, quod tunc fit, cū obtempera-  
mus Euangelio, nec repugnamus Spiri-  
tui sancto vocanti nos ad pœnitētiam, 1. Ioan. 1.  
& consolanti per gratuitam remissio-  
nem peccatorum. Deniq; regeneranti  
ad nouam vitam. Singulis autem appli-  
catur sanguis Christi in sacramentis.

TEXTVS.

Eritque hic dies vobis in me-  
moriam, et solennis ac festus Do-  
mino inter vos et omnes filios  
vestros, ritu sempiterno.

EXPLICATIO.

**H**Atenus cœremonia paschatis cum  
suis fructibus descripta est: nunc ad-



## Explicatio de

**Exod. 20** dicitur mandatum de ea, singulis annis  
**Deut. 5.** repetenda, propter memoriam benefici-  
cij conseruandam. Idq̄ mandatum per-  
tinet ad tertium præceptum de Sabba-  
to, cuius præcipuus finis est, vt con-  
seruetur memoria beneficiorum Dei,  
quæ præstitit, cum toti generi huma-  
no, tum seorsim ecclesiæ suæ, quam non  
solùm creauit ac redemit per filium,  
verùm etiam per Spiritum sanctum san-  
ctificat atq̄ ornat, gloria sempiterna.  
Nisi enim esset cultus Sabbati & mi-  
nisterium publicè institutum: memoria  
omnium operum ac beneficiorum Dei,  
facilè interiret. Cùm igitur inter alia  
beneficia, quæ Deus seorsim populo  
Israël præstitit, hoc sit valde insigne,  
quo liberauit populum ex Aegypto, si-  
cut primum præceptum decalogi te-  
statur, in quo Deus hoc suum opus  
maximè prædicat, dicens: Ego sum Do-  
**Exod. 20.** minus Deus tuus, qui eduxi te de ter-  
ra Aegypti de domo seruitutis, meritò  
postu-

postulavit Deus, ut per annuam paschatis celebrationem memoria eius celebretur. Primum gratitudinis præstandæ gratia, cum idem beneficium pertinuerit, non solum ad eos, qui ex Aegypto liberati sunt, verumetiam ad omnem posteritatem, quæ non potuisset terram promissam possidere, nisi patres ex servitute Aegypti erepti essent. Deinde, populus eodem beneficio admonitus, fidem suam excitare debuit, ut optimè de Deo speraret, qui tam illustribus testimonijs suam gratiam erga hunc populum declaravit. Tertio, excitandus fuit populus ad mutuam dilectionem erga Deum optimè meritum.

Quò autem maius est beneficium eius liberationis, cuius author est Christus, eò magis est prædicandū, ut quam plurimis innotescat, semperq; eius memoria inter homines conservetur. Ad hunc usum ipsemet instituit ministeri-

## Explicatio de

um noui Testamenti, per quod, non se-  
mel in anno, sed quotidie prædicaretur  
in ecclesia sua, redemptio facta per eum,  
idq; non in vno loco, sed vbiq; in toto  
orbe terrarum. Pertinet enim ad totum  
genus humanum benedictio, per Chri-  
stum semen Abrahamæ parta. Necessè est  
igitur eam omnibus hominibus annun-  
ciari, quod beneficium multò maius est,  
quàm ipsa redemptio, quæ nihil omni-  
no profuisset, si ignota mansisset. Itaq;  
in Symbolo additus est ad cæteros ar-  
ticulos de creatione & redemptione, ar-  
ticulus de sanctificatione, qui maximè  
discernit ecclesiã Dei, à reliqua hominũ  
multitudine, quæ creata est quidem, &  
omnibus creationis beneficijs fruitur in  
hac vita, æquè ac p̃s, atq; etiam amplius,  
nec minus pro alijs passus est & mortu-  
us filius Dei, quàm pro sua ecclesia: Sed  
Spiritus sanctus tantùm datur ecclesiæ,  
cui soli promissus est, sanctificans eam ac  
viuificans in æternũ per verbũ de Chri-  
sto,

sto, qui traditus est ppter delicta nostra, & resuscitatus propter iusticiam nostram. Sym: Nī  
cœnum.

Quicumq; ergò ministerium Spiritus S. persequuntur, vel audiunt quidē verbum spiritus, de Christo, sed tamē alias res magis curant, q̄s adeò nihil profunt cætera Dei beneficia, creationis & redemptionis, vt multò sint infeliciores, quàm vel si nunq̄ nati, vel bruta animantia fuissent. Neq; enim sufficit illa externa, (vt sic dicam) sanctificatio, cum homines audiunt Euangelium, & sacramentis vtuntur, sed necesse est accedere internam operationem Spiritus S. vt in mente nouū lumē accendatur, quod est vera & certa notitia Dei & voluntatis eius, vt scilicet, in voluntate excitentur noui motus, cōgruentes cū lege Dei, cū qua, obediētia cōiuncta est, etiā externa morū mutatio & cōstans cōfessio doctrinæ cœlestis, ardēsq; studiū eius ppagandæ. Hoc modo affectis donantur, iuxta p̄missionē, illa beneficia, quæ in tertio articulo

## Explicatio de

Tertius articulo Symboli continentur, vt sint  
articulus vera membra eius, cœtus, qui appella-  
symboli: tur Ecclesia sancta catholica, siue san-  
credo in ctorum communio & societas: vt ha-  
S. sanctū, beant remissionem peccatorum, & sint  
hæredes vitæ æternæ, iuxta promif-  
sionem Ioan.6. Hæc est voluntas eius  
qui misit me: vt qui videt filium &  
credit in eum, habeat vitam æternam,  
& ego resuscitabo eum in nouissimo  
die.

Gen. 2.  
Ioan. 3.  
Quamquam igitur in creatione, De-  
us mirificum amorem ostendit erga ho-  
minem, quem ad imaginem suam con-  
diderat, vt Moyſes scribit: multoq̄  
maiores, cum tradidit filium suum  
vnigenitum pro mundo: Tamen hoc  
præcipuum est argumentum dilectio-  
nis Dei erga nos, quòd Spiritum san-  
ctum effundit in corda nostra, per quem  
nobis gratiam suam in filio patefecit,  
illuminans corda nostra, nosq̄ viuifi-  
cans, ne frustra & conditi & redempti si-  
mus,

mus, sicut alij, qui repugnant Spiritui sancto, nec præbent se illi obsequentes.

TEXTVS.

Septem dies azyma comedetis, ac primo statim die desinetis a fermentato pane in ædibus vestris.

EXPLICATIO.

Quæcumq; de tollendo fermento & azymis panibus præcepit, ea tantum propter nouum Testamentum & cultum eius præcepit. Nam in vera & spiritali manducatione noui paschatis, omnino necesse est caueri, omnes opiniones alienas a verbo noui Testamenti, quod ab Apostolis est conscriptum. Ac ne illa quidem admisceri omnia, quæ in libris Mosis & Prophetarum extant, ad nouum Testamentum debere. Nul-  
lus

## Explicatio de

ius siquidem iam tenetur legalibus sacrificijs & cæremonijs. Par enim est, ut orta luce, diffugiant nebulæ, & figura cedat, si rem viuam coram intueri liceat. Christo enim moriente, mortua simul est lex vetus cum eo, quia Christus erat finis legis, & lex vetus, nihil aliud est, quàm occultatio & ceu velamen quoddam noui Testamenti: & nouum Testamentum nihil aliud est, nisi manifestatio veteris. Itaq; lex Mosi (quæ erat tanquam contractus quidam debitorius vsque ad mortem Christi) fuit mortua cum Christo crucifixo, nec iam quenquam obligat ad sui obseruantiam, excluso decalogo, hoc est, extra præcepta decalogi. Ideo & Paulus adeò grauiter arguit Galatas, qui præter doctrinam suam, aliorumq; Apostolorum, amplexi erant circumcisionem cum lege Moyfi, quæ tum, ne Iudæos quidem ipsos amplius obligabat, & apertè pronunciat Paulus, illis Christum nihil omnino

Rom. 10.

Gal. 2.

1. Cor. 7.

Gal. 6.

omnino prodesse, qui cum iusticia Christi, copulant iusticiam legis, in iustificatione: & hoc est fermentare panem. Quodsi autem lex Moyfi reijcitur in doctrina noui Testamenti, quanto magis impia: traditiones hominum. **E**t si verò ordinis causa, quædam traditiones & ordinationes à maioribus traditæ, in ecclesia catholica obseruantur, quæ quidem sunt de bene esse: non tamen hoc consilio, vt sint de necessesse, nec ideo instituuntur à p̄is gubernatoribus, quasi absq; his Deus coli non possit, neq; vt damnent eos, qui non seruant: Tametsi piæ mentis officium est, cum ecclesia se libenter coniungere in omnibus rebus, minimis æquè ac maximis, nullaq; in re temere dissentire, propter scandalum cauendum, quod sequitur ex nimio abusu libertatis christianæ. Diuus quoque Hieronymus noster, admonet Lucinum in suis epistolis Tom. I. Traditiones eccle-



## Explicatio de

ecclesiasticas ( præsertim quæ fidei non officiant ) ita esse seruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Epiphanius ait : aliquos ritus in ecclesia, humana authoritate institutos esse, propter bonum ordinem, & propter bonam disciplinam.

Et natura hominum amat ordinem, qui quidem maximè decet ecclesiam, & congressus publicos. Ideo Paulus quoq; grauissimè dixit I. Cor. 14. vt omnia decenter & ordine fiant. Tales ergò piæ traditiones, quæ sine superstitione obseruantur, & sunt boni ordinis causa institutæ, non sunt omnino reijciendæ ( opinio tantùm iustitiæ, necessitatis & cultus reijcitur, Deus enim detestatur hanc audaciam hominum, quæ fingit cultus suo cõsilio extra eius mandatum ) sed sunt obseruandæ, quarum obseruatione munitur publica etiam tranquillitas, & sunt vtiles paci. Sed  
longius

longius digressus sum, nunc iam redeo ad textum.

Præcepit Deus, vt celebratio paschatis septem dies cōtinuos duraret, etiam propter nouum Testamentum, in quo perpetuum agitur sabbatum. Hoc enim significatum est per septem dierū continuationem, quibus absolutis, reditur ad principium, vt omnibus modò etiam notum est. Hoc intelligens Esaias, *Esa. 66.* capite vltimo, sic vaticinatur de nouo Testamento, quòd esset alius mensis ex alio futurus, & continuum Sabbatum ad adorandum nomen Domini. Sicut enim ad nullum locū certum, ita etiam ad nullum tempus, alligatus est cultus noui Testamenti, licet enim semper docere, & sacramenta administrare, & conuenire ad inuocandū & prædicandum nomen Domini. Nullum ergò tempus, nullus locus, nulla gens certò expressa est in nouo Testamento ad cultum Dei exercendum, sicut olim populus Israël,

## Explicatio de

& Hierosolyma & certæ feriæ constitutæ fuerant à Deo, nec erat tunc ecclesia catholica, hoc est vniuersalis, sed particularis: Cum soli Iudæi & vrbs Hierosolyma, haberent promissiones & cultus diuinitus institutos. Si quis ergo ex Gentibus tunc voluit colere Deum, hunc oportuit respicere Hierosolymam & montem Sion. Idque assueti Iudæi, vehementer offensi sunt in libertate Gentium, quòd neglecta religione Iudaica: tamen credebant se colere Deum.

Maximè verò implebitur figura septem dierum in resurrectione mortuorum. Tunc enim nihil aliud amplius agetur, nisi quod proprium est Sabbati, semper enim erit ecclesia in còspectu Dei, semperque eum prædicabit in lætitiis incredibili, depositis omnibus alijs moribus, etiam edendi & bibendi ac dormiendi, &c. Erit enim Deus omnia in omnibus, hoc est: vnus Dei

con-

conspēctus & consuetudo sufficiet ad omnia, & ad integram nostram beatitudinem, ipse erit cibus, potus, & requies in æternum, communicans se, suaq̃ omnia cum filijs suis, quibus tunc in manus tradet integram possessionem hæreditatis promissam, neq̃ eos celabit quicq̃ omnium suarū rerum, quantumuis arcanarum. Hæc audientes sancti, immensa lætitia perfundentur, & miracum alacritate canent Deo carmina lætissima, pro singulis beneficijs, vel per creationem, vel per redemptionem, vel per sanctificationem in se collatis. Denique mutuus erit complexus, ut Deus omnem suam voluptatem habeat in suis filijs ex genere humano collectis, hiq̃ vicissim in nulla re præterea lætentur, nisi in Deo, cuius amorem & benefacia, tunc demum perfectè experientur.

Quod autem non permisit Deus, ut azymi panes ederentur, priusq̃ omne

## Explicatio de

fermentum ex ædibus eiectum esset, id eodem fine instituit, vt videlicet ostenderet, solum Christum cum suo verbo comprehendendum esse, neq; hoc fieri posse, nisi abijciantur alij cultus, qui non coueniunt cum verbo, quod Christus tradidit, tandemq; Apostoli & post eos alij ecclesiæ Doctores docuerunt & scripserunt.

### TEXTVS.

Quicumque vescetur fermentato pane à primo vsque ad septimum ( scilicet diem ) eius anima eradabitur ex Israel.

### EXPLICATIO.

**R**atio humana iudicat, Deum nimis sæuerum esse, quòd pro re leui ( vt ipsi videtur ) continuò summam pœnam minatur, vt cum confert peccatum  
Adæ

Adæ & Eux, cum magnitudine pœnarum, ex quibus tamen præcipuas non videt, existimat ipsa ratio, iniquissimè comparatam esse pœnam cum delicto, Gen. 3. quòd non solùm primi homines pro vno pomo decerpto grauissime puniti sunt, verùm etiam omnes ex eis nati, cum filius non portet iniquitatem patris, &c. Vsq; adeò perdita est natura hominum, vt non solùm peccare audeant, sed etiam peccata sua defendere, ac Deum vltro accusare iniusticiæ. Ezech. 18 Quam sciunt hanc in Deum cadere nullo modo posse, cum sit amantissimus iusticiæ, & causa bonorum omnium: à peccato verò & omni iniusticia vehementer abhorreat. Quamobrem, detestemur hanc audaciam mundi, qui Deum accusat, seque excusat: ac sentiamus, nihil esse atrocius, quam superbè contemnere mandatum Dei, id quod primum fecit diabolus, deinde homo, eius fraude seductus, & quò minore in re

## Explicatio de

violatur obedientia, hoc fit peccatum grauius. Nonne enim insigne flagitium fuit, quòd primi homines vnicum pomum & exiguam gulæ voluptatem pluris fecerunt, quàm Deum conditorem suum, qui in paradiso ingentem copiam fructuum eis donauerat, nec tamen fuit pomum decerpere caput peccati, sed quòd per verbum Dei sic pronunciatum erat, vt morte moreretur si comederet. Et quia primus homo in cibo vetito plus credidit diabolo, quàm Deo: ergo meritò morte puniri debuit. Comminatio fuit addita: Ideò comestio sequens operata est mortem propter inobedientiam. Si præceptum mandati obediendo seruasset, absque metu mortis, æternis fruendo gaudijs vixisset: Quia verò inobediens existit, priuatus æterna scelicitate, mortis miserijs subiacerere debuit, quas est expertus, dum vetitum contigit lignum, de quo inhibitus fuerat, ne  
illud

illud tangeret. Sic igitur primus parens à paradisiaca amœnitate depulſus eſt. Ita in hoc quoque mandato, facillimum fuit abſtinere à fermento, cum interea licuerit veſci azymis panibus, hisque multò delicatioribus. Si quis ergo fermentum magis charum habuit, quàm Deum, nonne dignus fuit, qui puniretur à Deo? Qui cum fit æternus, æterna etiam bona largitur iſis, à quibus vera reuerentia colitur. Aeternisq; pœnis damnat illos, à quibus contemnitur, præſertim ob rem leuem. Atq; hinc illud ſequitur: Si mandata legis violare tantum eſt peccatum, & afferat mortem æternam, quantò grauius offendunt Deum illi, qui contemnunt mandata Euangelij? Cuiusmodi ſunt: Hunc audite: agite pœnitentiam: credite euangelio: Baptizamini. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, Bibite ex hoc omnes, Renouamini ſpiritu mentis veſtræ: & reliqua.

Matth. 17

Marc. 1.

1. Cor. 11.

Ephes. 4.



## Explicatio de

Atq; hæc omnia figurata sunt in ritu veteris paschatis, in quo prohibitum fuit omne fermentum, & mandatus panis infermentatus, vt inde sic ratio- cinemur: Si Deus contemptores figu- ræ tam grauitè puniuit, quantò magis puniet eos, qui contemnunt rem signi- ficatam, hoc est: Christum, neque pro- pter eum abijciunt omne fermentum, hoc est: omnes alias religiones, vt hoc vno saluatore cum verbo eius, qui so- lus ad omnia, quæ ad salutem nostram sunt, sufficit, sint contenti. Huc perti- nent comminationes Euangelicæ: Qui non crediderit, condemnabitur. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Vult enim nos omnes obedire huic vni mi- nisterio spiritus, quod ipse instituit, ad- hibito Baptismo, & cæteris sacramen- tis, propter applicationem, aut præte- rea neminem saluare. Ita & Baptista in- quit: Qui credit in filium, is habet vi- tam

Mar. 16.  
Ioan. 3.

Ioan. 3.

vitam æternam, qui verò non credit, is vitam non habet, sed ira Dei manet in eo. Tota enim salus nostra, cum suo principio, medio & fine, pendet à solo Christo, qui est panis azymus absq; omni labe, & offertur per solum verbum, quod ipse tradidit, ita, vt nihil aliud sit admiscendum tanquam necessarium ad salutem & reconciliationem cum Deo.

Quod autem capitale peccatum fuit, durantibus ferijs paschatis, propter interdictum diuinum & comminationem, hoc idem nullum omnino delictum erat, vel ante initium paschatis, vel post finem. Idem igitur factum, potest esse bonum, si habet mandatum Dei, aut non est prohibitum à Deo, & malum, si est prohibitum. Hanc ob causam, in veteri paschate celebrando, peccatum erat vesci fermentato pane: Rursumq; extra hoc tempus, peccatum nullum erat. Ita homini Iudæo durante

## Explicatio de

veteri Testamento, peccatum erat vesci carne suilla, quia prohibitum erat à Deo: Nunc verò nullum est peccatum, vt si quis hoc interdictum vsurpet. Et quanquam prohibitio carnis suillæ est magni momenti, cum animal illud sit valdè immundum & lutulentum, & de eo sit mandatum speciale Leuitici vn, decimo: Mortuo tamen Christo secundum carnem, & cessante Mosaicæ legis obseruantia, hanc quoque prohibitionem cessare necesse fuit. Carnes itaq; suillæ post aduentum Christi Iudæo iam mundæ sunt, sicut ante legem mundæ fuerant filijs Noë, quibus dictum est Genesis capite nono: Quasi holera virentia dedi vobis omnia. Quemadmodū igitur holus fuit mundum omnibus, sic etiam omne animal & carnes suillæ fuerunt mundæ filijs Noe ante legem, & per hoc in futuro quoque seculo, iam post legem, tempore scilicet Messiaë quædam cibaria,

ria, quæ in lege Mosaica erant prohibita, fiunt licita. Quòd autem in aduentu Christi hæc animalium immundorum soluta fuerit prohibitio, constat Actuum capite decimo, & ad Timotheum quarto.

Quamobrem etiam atq; etiam videndum est, quid sit in nostro verbo, quod est noui Testamenti, nominatim aut præceptum aut prohibitum, nec iudicemus aliquid esse peccatum, cuius nullum extat interdictum diuinum. Quod, cum non obseruatur, magni fiunt modò motus in ecclesia. Nam propter solum tempus paschatis, & panem infermentatum, facta est horribilis seiunctio nunc in ecclesijs.

Aliæ enim antiquum tempus & panem fermentatum in cœna defendunt. Præsentis tēporis  
Aliæ verò aliud tempus paschatis, & panem infermentatum seu azymum contro- uersia.  
in cœna defendunt ac recipiunt, hoc est:

## *Explicatio de*

est: moderno tempore, alij ministri fermentatum ( non sine scandalo ) porrigunt panem in cœna, alij autem infermentatum, cùm neutrum sit expressè mandatum in verbo Christi & Apostolorum. Verùm vetus vsus, qui ab olim in ecclesia obseruatus est: vt videlicet infermentatus panis, quem vulgò hostiam vocant, in cœna Domini porrigatur, magis laudandus & approbandus est, nec imitandus error Calvinistarum, qui iam latè per orbem christianum diffusus est: Quin potius veteris & purioris ecclesiæ, quæ Apostolis vicina fuit: & postea perpetuæ ecclesiæ consensus, in vsu cœnæ, magis obseruetur, qui à pio christiano contemni non debet. Et ab hoc consensu ecclesiæ recedere, non modò periculosum, sed etiam impudens & nefarium esse pronuncio. Hunc namq; consensum turbare, vel ab eo discedere: non vulgaris est temeritatis & arrogantia: Siquidem

dem, quid hoc aliud est, quàm ecclesiam nimix stoliditatis insimulare, & sese huius instituti & vsus, quasi emendatorem, efferre. Pudeat delirantes Calvinistas, quos videmus, nunc eò demeritæ processisse, vt non vereantur ordinem ecclesiæ turbare, qui etiam contra maiestatem huius mysterij nouæ cœnæ in azymis panibus, sceleratè peccant, dum fermentatum & rotundæ figuræ panem in ecclesijs in frustra sciundunt, sicq; imperitæ plebi irreuerenter tractandum, ac abusiue pro cœna Domini comedendum, exhibent. Minatur hic Dominus Israëlitis, si quis circa illum veterem agnum vesceretur fermentato pane: At quantò minus conuenit, vt nos in cœna noui nostri **AGNI** vescamur fermentato pane, omnia enim illa ad figuram & rem significatam spectant. Nos ergo in cœna Domini eo more vtamur, quo pia vetustas vsa est, nec imitemur errorem Calvinistarum.

# Explicatio de

## TEXTVS.

Dies primus sit sanctus itidem et septimus, opus nullum facietis in eis, nisi quod pertinet ad cibum quarumcunque animarum, et azymorum omnino memores estote.

## EXPLICATIO.

Quaquam Deus septem dies continuos consecrauit paschati, tamen seorsim primum & vltimum diem voluit esse solennem, & pari cum pietate coli, vt nihil interesset inter illos dies & Sabbatum, vult enim Deus non minui memoriam suorum beneficiorum, sed perpetuò manere integram & incorruptam. Idcirco non solùm non derogat gloriæ eius, verùm etiam maximè est salutare hominibus, in quibus hac vna ratione crescit notitia Dei vera, cum timore

timore, fide, dilectione & alijs donis  
spiritualibus. Contra verò ex obliui-  
one beneficiorum Dei, certa sequun-  
tur pericula, tum corporalia tum æter-  
na. Atq; hanc ob causam quò minus  
essent animi impediti ad exercendam  
memoriam beneficiorum Dei, prohibi-  
tæ sunt operæ seruiles, non quòd oci-  
um per se placeat Deo, (sicut ethnico-  
rum opinio est in falsis Dijs colendis)  
sed quòd quies feriarum confertur ad  
exercendum verbum Dei & propagan-  
dum, cum singulari gloria Dei & salute  
hominum, quicunq; hoc verbo solide  
delectantur.

Iterum autem inculcat **D E**,  
**V S** præceptum de azymis, significans  
magnum momenti esse hoc præceptum.  
Primum enim vetus pascha factum es-  
set inutile per fermentatum panem. De-  
inde multò magis necessarium est, vt  
noui paschatis conuiuium maneat im-  
pollutum ab omni doctrina immunda,  
quæ



## *Explicatio de*

quæ non habet authoritatem à Christo mediatore noui Testamenti, qui idem etiam est victima placans totam iram Dei, ita, vt nullo præterea indigeat adiumento. Hoc docere de eo & credere, est abstinere à fermento, & vesci azymis, quod cum fit nos quoque reddimur similes Christo: Primùm, per remissionem peccatorum omnium, & imputationem iusticiæ propter sanguinem Christi. Deinde, quia per Spiritum S. regenerat nos, ac transformat in nouum hominem, mortificando immundam naturam, & excitando sanctam & immaculatam, quæ in sanctitate & iusticia coram Deo viuat in æternum. Huc respiciens Paulus 1. Cor. 5. inquit: Pascha nostrum est, Christus immolatus pro nobis. Epulemur itaque, non in fermento malitiæ & nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Loquitur quidem Paulus de veris operibus & Deo acceptis, cæque azyma vocat: Sed hæc

hæc non possunt existere, nisi apud eos, qui audiunt puram & synceram doctrinam de Christo, eiq; vero studio incumbunt. Nam per hanc solam adipiscuntur homines cætera omnia, remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, Spiritum sanctum, & dona spiritualia omnia, quibus ornat Deus filios suos, vnâ secum in æterna beatitudine victuros.

Itaq; & Christus instituens ecclesiam suam de ordine in petendis beneficijs a patre cœlesti, primùm omnium iubet eam petere, vt nomen Dei sanctificetur, hoc est: Vt mittat bonos doctores, vt instruat eos lumine verbi sui, vt floreat ministerium Euangelij & sacramentorum, neque contaminetur per diabolum & ministros eius, qui vel totam doctrinam corrumpunt, vel partem aliquam. Neque per sæuitiam tyrannorum impediatur, quo minus propagari possit. Hoc enim ministerio, vel impedito

Sanctificetur nomen tuum. Matth. 6. Luc. 11.

H dito

## Explicatio de

dito, vel penitus sublato, vel per impias opiniones specie veritatis ornatas, corrupto, nullum omnino præterea beneficij genus hominibus à Deo contingere potest. Aut enim per verbū suum purè prædicatū benedicit Deus hominibus, aut cessat eius benedictio vniuersa. Tunc neq; regnat Deus inter homines cum eorum salute, neq; largitur Spiritum S. neq; ab hominibus verè agnoscitur & inuocatur iuxta voluntatem suam, quam in verbo suo reuelauit, neque donat beneficia huic vitæ necessaria, neq; defendit contra diabolum, neque remittit peccata, neque liberat à malo. Hinc satis apparet, quid Deus præcipuè voluerit significare per azymos panes, videlicet, Christum cum ministerio à se instituto, nulla alia doctrina admissa, hoc ministerio saluo, cætera quoq; abundè præstat Deus credentibus: donat eis Spiritum sanctum, expulso principe tenebrarum, per hunc  
Spiri,

Spiritum deinde consequuntur omnia,  
vt hilari animo dicere possint ad De-  
um: Abba pater, vt verè Deū diligant, Rom. 8.  
vt voluntatem eius faciant, sicut An- Gal. 4.  
geli in cœlo, vt etiam habeant huius  
vitæ præsidia necessaria, vt non im-  
putentur eis peccata, vt seruentur à  
potestate diaboli, ne rursus in eam  
incidant, tandemq; libertatem ab omni  
malo. Quare, non de parua causa De-  
us toties inculcat præceptum de pa-  
nibus azymis. Longius enim respexit,  
quàm ad vetus pascha, remquæ maxi-  
mè necessariam ecclesiæ suæ, commen-  
dauit. Stante enim sana doctrina, salua  
manent omnia, rursusq; hac ruente, si-  
mul ruunt omnia.

TEXTVS.

Eodem die enim eduxi exerci-  
tum vestrum de Aegypto.

*Explicatio de*  
EXPLICATIO.

**H**Aec est altera ratio caeremoniae, per quam celebranda erat memoria accepti beneficii: non solum enim servatus est populus Israel sub dura servitute, cum ab alijs plagis omnibus, quibus Aegyptij sunt affecti, tum vero a caede primogenitorum, sed etiam prorsus a servitute in libertatem assertus est, idque sine omni suo labore atque impendio. Quapropter, tam multiplex beneficium, accidente etiam integra liberatione, dignum fuit, quod singulari studio populus celebraret, Hoc autem (vt & caetera omnia) ad nostram institutionem scriptum est. Cum enim nos eodem anni tempore per sanguinem nostrae paschatis victimae redempti simus, non a servitute aliqua humana, sed a morte aeterna, & inferorum potestate: longè maiorem debemus Deo gratitudinem pro maioribus beneficijs, quae eò sunt

Ast. 20.  
1. Cor. 5.  
1. Pet. 1.  
Heb. 9.  
1. Ioan. 1.  
1. Cor. 5.

eò sunt maiora, quòd sunt gratuita: cuiusmodi fuit etiam liberatio ex Aegy. pto. Nam populus Israël absq; omni suo labore inde eductus est. Sicut Deus inquit: Ego eduxi te de terra Aegypti, in manu potenti & brachio excelso, significans, hoc totum opus suum vnius esse, vt promissioni, quam dederat patribus, satisfaceret. Multò minus auxiliij tulerunt homines ad liberationem noui Testamenti, quæ omnibus modis illam veterem excellit. Nulla enim alia est causa, nisi infinita misericordia & veritas Dei mittentis promissum liberatorem, cuius vnius opera & labore, gesta sunt omnia, quæ ad solidam redemptionem pertinebant. Quòd si verò ne Iudæorum quidem opera secundum legem Dei facta, contulerunt quippiam ad salutem, quantò minus hoc dici potest de operibus Gentium, quæ sine lege erant, & Dijs alienis seruiebant? Si qua igitur opera

H iij      nostra

## *Explicatio de*

nostra sunt necessaria, hæc non ideo requiruntur, vt per ea operemur salutem nostram, quæ tota iam pridem parata est per mortem & resurrectionem filij Dei, sed vt redemptorem nostrum honore afficiamus, pro suis erga nos meritis infinitis. Sunt quidem opera nostra Deo grata, quamuis non sint perfecta: Tamen quod est in eis bonum, hoc gratum est Deo, quod autem est imperfectum, hoc propter Christum ignoscitur.

### T E X T V S.

Quamobrem, hunc diem seruabitis, omnesque posteri vestri ritu sempiterno. Decimo quinto die mensis ad vesperum azyma comedetis, vsque ad vesperum vigesimi primi diei: vt nullus fermentatus panis, septem diebus  
conti-

continuis, inueniatur in ædibus vestris. Quicumque enim comederit fermentatum, eius anima peribit ex populo Israel, siue sit advena siue indigena. Itaque nullo fermentato pane vescimini, sed tantum azymis panibus in omnibus habitationibus vestris.

### EXPLICATIO.

**H**ic est epilogus mandati de paschate, in quo Deus nominatim repetit tempus, & maxime omnium inculcat præceptum de azymis, vt faciliè appareat, magna de causa hoc fieri, cum præsertim repetat comminationem quoque, eamque amplificet. Non solum enim minatur Deus indigenis, verumetiam peregrinis, vnde apparet per azymos panes aliquid significatum esse: commune Iudæis ac Gentibus, videlicet,



## *Explicatio de*

verbum de Christo incorruptū. Quodque præcepit Deus, vt in omnibus habitationibus suis Iudæi seruaarent eundem ritum, nihilq̄ omnino mutarent, id eò pertinet vt sit consensus omnium in eadem religione, quam Deus instituit. Sicut Christus cum alibi, tum maximè in Ioanne præcepit, de mutua dilectione, quo vinculo primùm animos docentium copulari voluit, ne quis conturbet concordiam doctrinæ. Deinde & cæteros, qui faciliè concordant, si inter docentes est concordia, qua manente, non faciliè est Diabolo turbare ecclesiæ societatem.

Porro quòd Deus præcepit, vt ritus sit sempiternus, id putant Iudæi, vmbri, scilicet, inutilium cæremoniaram inuoluti, sic accipiendum esse, quasi nullus vnquam finis huius cæremoniæ esse debeat, sicut de toto suo Testamento somniant: etiamsi non modò Prophetarum & ipsius Mosis testimonijs, verum

verùm etiam per experientiam conuincantur, quòd errent. Quomodo enim possunt seruare hunc ritum & alias cæremonias, si locus, ad quem lex Moyfi cum omnibus suis cæremonijs pertinebat, iam fermè tanto tempore iacet desertus, quanto fuit in flore? Lex enim & aliæ cæremoniæ, excluso decalogo, non obligant ad sui obseruantiam, nisi in ipsa terra promissionis, videlicet florente templo, & Iudæorum sceptro durante, aliàs verò minime. Non igitur semper eodè modo obligat lex. Et hoc planè docet Moyfes inquitens. *Deut. 4.* Ecce do- cui vos cæremonias & iudicia, sicut mandauit mihi dominus Deus meus, vt faciatis sic in terra, quam possessuri estis. Et ibidem paulò post, his similia dicit: Mandauit mihi inquit: vt docerem vos cæremonias & iudicia, quæ facere debetis in terra, quam possessuri estis.

Nec hoc argumentum possunt solue-

## *Explicatio de*

re moderni Iudæi, quantumuis se multū torqueant, & dicant fore, vt restituantur eorū politia, & tunc demū venturum esse Mefsiam. Christum enim humilem & pauperem, patres eorum non receperunt, nec eius doctrinam, quia venit nullo stipatus satellitio, nullis armis, nullis opibus, nulla potentia instructus, qua eos de potestate & subiectione Romanorum liberaret, sed humilis & pauper. Sperant igitur & expectant adhuc Mefsiam, Regem scilicet in armis adeo potentē, vt ipsos omnes per vniuersum terrarum orbem dispersos, in breuissimo temporis spatio congregatos, in libertatē restituat, atq; in terram promissionis, debellatis omnibus & suæ ditioni subiectis, iterum adducat. Et hoc errore ducti, quem omnes à teneris annis imbibunt, & parētes ab ipsis incunabulis continuè filiorum suorum mentibus instillant, & imprimunt, ipsi quoque Christum cum sua doctrina reijciunt,

unt, & alium expectant Messiam. Sed frustra, cum iam ferme tam diu iacuerit ipsorum politia, quamdiu ab initio stetit. Anni enim ab exitu ex Aegypto usque ad destructionem Hierosolymæ, ut computant, sunt 1582. Ab excidio verò Hierosolymæ, quod incidit in annum Christi 72. usque ad hunc præsentem annum 1587. elapsi, sunt anni 1515. & per hoc, vanum est ipsis de alio Messia somnari, & de politia sua sperare. Sed hunc errorem Iudæorum, quo putant ritus suos sempiternos & omnium ætatum fore, tota scriptura diuinitus tradita, iam olim cõfutavit per promissiones de nouo Testaméto, quo derogatum est vetus. Nomé ergo sempiternus, simpliciter significat continuú tempus usque ad nouum Testamentum. Non ergo intelligendum est hunc ritum seu hanc festiuitatem celebrandam esse in æternú, sed ad tēpus determinatú, videlicet usque ad Messia aduentum, qui iam venit. Nam  
hic

## Explicatio de

hic sempiternum accipitur pro temporali. Hieremiæ capite 23. Ecce dies venient dicit Dominus; & non dicent ultra, viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti. Ac si diceret: in illis diebus, non erat hominibus curæ pascha, quia istud festum non erat aliud, nisi memoria liberationis filiorum Israël de terra Aegypti, ergo festiuitas Agni paschalis saltem vsque ad aduentum Messiae à Iudæis celebrari commissâ erat, quo adueniente, debuit cessare. Sicut adueniente festo, cessat vigilia, quæ erat præparatio quædam ad festum celebrandum: ita cæremonia hæc erat quasi vigilia & præparatio ad aduentum Christi, ad passionem & mortem suam.

### TEXTVS.

Tunc Moses conuocatis omnibus principibus in Israël, dixit eis: Eligite et sumite oues pro sua quisq;

quisque familia, et immolate pascha seu phase.

## EXPLICATIO.

PRImam & præcipuam partem huius capitis hætenus vidimus, in qua continetur institutio primi paschatis, quod est pulcherrima figura noui, vnâ cum doctrinis de vero vsu eius. Nunc Moses mandatū à Deo acceptū cæteris principibus exponit. In hoc exemplo diligenter obseruanda est perpetua consuetudo Dei agentis cum hominibus. Neq; enim immediatè cum tota multitudine loquitur, sed cum certis personis, quas ad hoc eligit ipse. Ita soli *Exod. 3.* Mosi apparuit in rubo ardente, dans ei *Acto. 7.* mandatum ad Pharaonem regem Aegypti de populo dimittendo. Ab hoc deinde frater Aaron, qui erat eloquentior Mose, accepit idem mandatum, & sic vterq; ad Pharaonem & populum Israël affert

## Explicatio de

affert verbum Dei, ad terrendos impi-  
os Aegyptios, & consolandum popu-  
lum Dei, seruitute oppressum. Ita po-  
stea, singulis ætatibus modò hunc, mo-  
dò illum Prophetã excitauit Deus, cum  
vera doctrina, quæ per impios sacerdo-  
tes obscurata, vel per tyrannos oppres-  
sa fuit. Post Prophetas, solus Ioãnes do-  
ctrinæ ferè penitus extinctæ, instaurator  
fuit. Post hunc ipse Dominus. Sed ad  
totum mundũ illuminandum, misit si-  
mul duodecim Apostolos, cum summa  
& planè diuina authoritate, vt voci ip-  
sorum omnes homines auscultarèt, nõ  
minus, quam voci de cœlo sonãti, sicut  
hæc eius verba testantur: Qui vos audit  
me audit, & qui vos spernit, me spernit,  
Item, sicut misit me pater, ita & ego mit-  
to vos. Accipite Spiritum S. quorum-  
cunq; peccata remiseritis, ijs remissa  
erunt, & quorumcunq; retinueritis, ijs  
manebunt retenta, &c.

Huic igitur ministerio Apostolorũ, sub-  
iecit

Mar: 16.

Math. 28

Luc. 10.

Ioan. 20.

Math. 18.

fecit vniuersum mundū, cum salute omnium, qui verbo & doctrina eorū cōtenti, nō desiderant alias patefactiones, neq; alienis opinionibus veram huius doctrinæ sententiā deprauant: ceteris omnibus manentibus in peccato & morte æterna. Neq; id iniuria: sic enim & non aliter visum est Deo, vt per eiusmodi ministeriū saluos faceret credentes. Idq; deberet hominibus quoq; esse iucundissimum. Nam Deū ipsum in hac vita immediate videre & audire non possunt. præ sua infirmitate, quæ nō potest ferre gloriam & maiestatem Dei. Propterea Deus Mosi quoq; noluit in gloria apparere, cum id peteret, quia nemo (inquit) videt Deū & viuit. Exodi 33. scriptū est: Deus autē dicit, non videt me homo & viuet. Vnde sequitur, adhuc neminem fuisse, qui Deum videre potuisset. Sicut Ioannes palam testatur. Deum nemo vidit vnq̄. Apparuit quidem patribus olim, sed in aliena specie, Abrahamo visus



## Explicatio de

- visus est in forma hominis, Genes. 18.  
Exod. 3. Mofi in forma ardentis rubi. Israël in  
& 13. densissima nube & fumo. Helix verò  
3. Reg. 19 in voce quieta & subtili. Sed nihil ho-  
rum Dei naturam potuit demonstrare,  
tantumq; præsentix Dei signa erant.  
Acto. 7. Sed per Angelos locutum esse Deum  
cum illis, quos ad cæteros homines do-  
cendos misit. Atque hi formam homi-  
nibus tollerabilem assumpserunt. Ta-  
metfi & ipse filius Dei interdum in hu-  
mana forma apparuit patribus. Assum-  
pta verò humana natura, immediatè  
Luc. 1. tradidit doctrinam Apostolis & alijs,  
quò certiores nos redderet de volun-  
tate sua. Cùm igitur hæc ratio, qua se  
manifestum facit, iucundissima sit ho-  
minibus, meritò rejiciuntur omnes à  
Deo, qui eam contemnunt & aliam  
requirunt, imitantes illorum substan-  
natorum exemplum, qui signum de cœ-  
Luc. 11. lo postulabant.

Agnoscamus igitur discrimina do-  
norum

norum & vocationum: Primum enim mittit Deus præcipuos aliquos doctores ad instaurandam doctrinam, ornatos eximijs donis, ut sint idonei ad tanti muneris functionem, ab ijs vult alios haurire doctrinam, & suum quemque locum tueri, nec discedere à forma doctrinæ, quam acceperunt, consentaneam diuinis testimonijs. Cum ergo doctrina iam restituta est, omnes qui postea exoriuntur, eamque veluti imperfectam volunt corrigere, hos omnino suspectos habere debemus, tanquam à diabolo excitatos: nec difficile erit prudentibus certas eius rei notas in doctrina & moribus animaduertere. Ac plerumque ordiuntur suam fabulâ ab hoc artificio, ut detrahant authoritati rectè docentium, qui tamen pro sua modestia, ad diuinam authoritatem & veræ ecclesiæ testimonia, solent prouocare. Solus Moses acceperat mandatum à Deo de paschate, idque adfert ad  
I principi

## Explicatio de

principes : hi verò ad populum , & ta-  
men nemo derogat authoritati Mofi,  
tanq̃ vnus viri. Sed cùm iam manife-  
stum esset , cum diuinitus esse missum,  
nihilq; falsi adferre, credebant voci eius  
tanq̃ diuinæ , suæq; fidei maximos fru-  
ctus capiebant. Qui verò huic doctori  
primùm misso nō credebāt, & vocifera-  
bantur eum esse hominem, cui nō essent  
soli omnia reuelata, his quomodo sua  
contumacia successerit, ostendunt exem-  
pla Core & sociorū eius , videlicet Da-  
than & Abiron. Hi etenim quia oppo-  
nunt se Mofi diuinitus vocato, & mira-  
cula edenti, consumpti sunt in impetu  
iracundiæ , & terra aperiens os suum,  
deglutiuit eos, descenderuntq; viui in  
infernum, operti humo. Tutius est itaq;  
credere vni viro, qui demonstrare potest  
suam doctrinam, nulla in parte dissentiri  
à verbo Dei, quàm multis alijs, qui nō  
Dei gloriam quærunt, sed suam, detra-  
hendo probatis doctoribus, more Zoi-

Deut. 11.  
Psal. 105.  
Num. 16.  
Eccles. 45

li vituperantis Homerum. Fuit Home, de Home  
 rus Græcorum poetarum maximus, & ro & Zoi  
 reliquorum poetarum fons, qui scrip- lo pauca.  
 fit duo opera: alterum de bello Troia-  
 no, quod Ilias dicitur, alterum de er-  
 roribus Vlyssis, quod Odysea nomina-  
 tur. Aduersus hos Homeri libros,  
 Zoilus quidam malignus poeta, scrip-  
 sit quædam scripta, quæ cum Ptolomæo regi recitasset, rex indignatus,  
 nullum verbum ei fecit. Cumq; Zoi-  
 lus inopia pressus regem rogaret, vt si-  
 bi aliquid, quo viueret, daret, Rex  
 respondit: Homerus, qui ante mille  
 annos discessit, æuo perpetuo multa  
 hominum millia pascit: quare tu, qui  
 illo doctior es, saltem teipsum pascere.  
 Hinc omnis inuidus, & quicumq; doctis  
 viris detrahit, Zoilus vocatur.

## T E X T V S.

Et assumpto fasciculo hystopi,  
 intingite illum in peluim sanguinis,  
 l ij nis,

## *Explicatio de*

nis, eoque aspergite superliminare cum utroque poste.

### EXPLICATIO.

**V**idetur hoc in loco Moses addere aliquid ad mandatum Dei, in quo nulla hyssopi mentio facta est, sed constat omnibus pijs: nihil ab eo mutatum esse in præceptis Dei. Quicquid enim Moyfes præcepit, hoc idem à Deo præceptum esse statuunt. Deinde probari hoc potest à consequentibus. Nam capite Numeri 12. Deus coram omni populo dat testimonium Mosi, quòd summa fide exequatur omnia, quæ ei præcepit. Et capite 19. apertè nominatur hyssopus, ut hac in cinerem vaccæ rufæ intincta, conspergantur immundi. Leuitici quoque 14. hyssopo intincto sanguine passeris, aspergitur & expiatur leprosus. Ad huiusmodi ritum, David quoque alludens, & in hanc figuram respiciens

respiciens, inquit : Asperges me Domine hyssopo & mundabor. Cùm autem petat se David à Domino ipso aspergi, non loquitur de illa legali aspersione, sed euangelica, qua Deus ipse per verbum de morte Christi, aspergit peccatores agentes pœnitentiam, & credentes, sanguine Christi in remissionem peccatorum. Ut ergo aspersus fiebat, fasciculo hyssopi immerso in sanguinem Agni: sic veram pœnitentiam, cuius præcipua pars fides est, qua Christi beneficia nobis applicamus, immergamus in sanguinem Iesu Christi, qui solus emundat ab omni peccato, 1. Ioan. 1. Et hæc testimonia satis ostendunt, Mosen non suo, sed Dei consilio instituisse, ut sanguis Agni paschalis aspergeretur hyssopo, & superliminare & postes ædium.

Psalmus autem Davidis docet etiam aliam aspersione, per illam veterem significatam esse. Neq; enim potuit le-

Psal. 50.

Heb. 9.

Acto. 20.

1. Pet. 1.

Apoc. 1.

1. Ioan. 1.

## Explicatio de

Gal. 24

galis aspersio abolere peccatum coram Deo ( Alioqui, vt Paulus ait : Christus frustra mortuus esset ) Sed opus erat tali aspersione, quæ haberet testimonium certum, quòd ira Dei per eam placata esset, huiusmodi nulla est alia, præter eam, quæ fit per verbum de morte & satisfactione Christi ad salutem omnium, qui credunt: iuxta verbum noui Testamenti. Tali aspersione

2. Reg. 12

David quoq; mundatus est, cum audiret verbum ex ore Prophetæ, dicentis: Dominus transtulit peccatum tuum, quo verbo audito, reuixit David, iam mortem ipsam sentiens. Intelligebat enim peccatum suum in alium esse reiectum, atq; ideo nō esse suum, quia sine satisfactione, neq; Dei iudicio satisfieri potuisset, neq; conscientia satis firmam consolationem habuissent. Ait ergo David: Tu Domine, ea me aspersione asperges, quæ omnes abstergit maculas: quasi dicat: Tu domine: cui soli peccavi asperge

Psal. 50:

asperge me sanguine Christi & munda-  
bor, tu laua me & ero niue candidior  
& purior. Et sic manifestè David respi-  
cit in figuram istam, vbi hyssopo in-  
tincto in sanguine Agni aspergebantur  
postes Hebræorum, ne illic percuteret  
Angelus percutiens.

TEXTVS.

Nemo vestrum egrediatur ex  
ædibus suis vsque ad lucem, Do-  
minus enim circumibit ad Aegy-  
ptios percutiendos, cunque vide-  
bit sanguinem in subliminari et  
vtroque poste, præteribit ædes  
vestras, nec sinet percussorem in  
ædes vestras ac vobis nocere.

EXPLICATIO.

**I**N hoc mandato Mosi, vel potius Dei,  
inest huiusmodi mysterium, vt nemo



## Explicatio de

sejungat se ab ecclesia sanguine filij Dei  
conspersa, quicumq; vult esse tutus à  
diabolo & morte. Nam extra ecclesiam  
Christi, nihil omnino est salutis. Hæc  
sola est in gratia Dei, huic vni promissa  
est iustitia & vita Christi. Quicquid au-  
tem extra hanc est, hoc manet in ira  
Dei & in potestate Angeli percussoris,  
Quod autem ad solam ecclesiam, quæ  
credit in Christum, salus promissa per-  
tineat, hoc totius Euangelij testimonia

Math. 18.

Math. 16.

Ioan. 8.

confirmant, vt est illud: Porte infero-  
rum non superabunt eam. Item: si quis  
sermonem meum seruauerit, mortem  
non videbit in æternum. Sola autem  
ecclesia Christi, seruat sermonem eius,  
sola ergò libera erit à morte æterna.  
Exemplum insigne Deus dedit in bene-  
ficio corporali, quod præstitit populo  
suo Israël, sicut antea promiserat. Qui-  
cumq; enim extra huius populi domi-  
cilia fuit tunc, cum præteriret Angelus  
percussor, is mortem euadere non po-  
tuit.

potuit. Promissio autem data filijs Isra-  
el, de domibus eorum cōseruandis, tan-  
tam vim habuit, vt si quis Aegyptio-  
rum primogenitorum, credens com-  
minationi diuinæ, in domos Hebræo-  
rum se recepisset, non esset interfectus.  
Ita quicumq; à mundo segregatus con-  
iungit se cum vera Dei Ecclesia, & per-  
seuerat in eius societate, is seruetur  
vnâ cum ea, ne moriatur, sed viuat in  
æternum. Rursum autem obseruanda  
est vis verbi Dei. Quod enim nocte du-  
rante nocuisset populo, hoc præterita  
noctē nihil attulit detrimenti. Nam  
prohibitio egressionis, ad noctē dun-  
taxat pertinebat, ad diem non item:  
Nox autem significabat horam tene-  
brarum, qua durante, durat etiam ira  
Dei, à qua nemo tutus esse potest, nisi  
Deus eum prætereat, propter sangui-  
nem, de quo promissio data est. Durant  
autem tenebræ spirituales toto mundi  
tempore. Tantisper ergo vagatur ira  
I v Dei

Rom. 13.  
Galat. 3.

## Explicatio de

Dei per genus humanū, puniens mundum, donec eum in æternas pœnas abijciat. Qui autem pœnas irati Dei effugiunt, ij non aliter id consequuntur, nisi hoc modo, quòd iratus Deus præterit eos, propter sanguinem Christi, quem in eis conspicit. Etsi verò ipsi quoq; grauitè affliguntur: Tamen hoc proficiscitur non ab irato Deo, sed propicio, estq; illa ipsa hyssopus amara, quæ crucem significat, sed utilis.

Hæc eadem profunt ad nos monendos, vt cauti simus aduersus pericula. Dum enim in hoc mundo sumus, in nocte sumus, in qua facilè est labi in insidias: & percussor assiduè circumcurrit tanq; leo rugiens, quærens quem deuoret, vt Petrus ait: Et Christus docet, eum malè erga nos affectum esse, ita, vt cupiat nos cribrare & iactare tanquam triticum. Itaq; necesse est, vt maneamus seclusi in ecclesia, quæ habet verbum & promissiones Christi, quàm diu

1. Pet. 3.

Luc. 22.

diu in hac vita sumus, vsq; ad illum diem, in quo tota multitudo impiorum, vnâ cum principe suo in æternum à nobis seiuncta erit. Tunc demùm impune licebit nobis incedere, quoquo volumus.

Imprimis verò dulcis consolatio est in his verbis, cum inquit Deus per Moysen: Nec sinet percussori vt ingrediatur domos vestras nocendi gratia. Nam quòd ad diabolũ percussorẽ attinet, nequaquam is præterisset domos Hebræorum, sed maluisset eos omnes occidere, quàm vnum ex Aegyptiis, sed Deus regit eum suo freno, neq; concedit ei licentiam, grassandi in pios, infinitam. Ac si Deus tanta cura textit illum populum corporalem, in quo pleriq; mali erant, quantò minus deseret ecclesiam spiritualem, quam fecit hæredem æternorum bonorum. Huc pretinent promissiones innumerabiles, ex quibus valde illustris est Psal: 34.

Ange

## Explicatio de

Angelus domini castra metatur in circuitu eorum, qui timent dominum: sicut

4. Reg. 6. cinxit Elisæum per media castra hostium euntem. Itaq; & Christus inquit:

Luc. 12. Noli timere pusille grex, &c. Significat quidem maximis ærumnis obnoxiam esse ecclesiam suam, sed tamen non interituram, quia semper præsto est ei:

Math. 10. nec permittit hostibus, ut vel capillum

Luc. 12. vnum de capite nostro auferant, se non concedente. Neq; verò sine tumultu præterijt percussor ædes Hebræorum

in Aegypto, sed nocere non potuit, quia Deus ei non concessit. Quare, si

pulsus est Angelus percutiens, ne ingressus occideret primogenita Hebræorum: multò magis illud prelium fuit ac

Joan. 12. verè cruetum, cum filius Dei pro ecclesia sua pugnans, eripuit eam à potestate principis tenebrarum, eandemq; in omnibus periculis huius vitæ tuetur, iuxta

Joan. 10. promissionem suam: nemo rapiet oves meas de manu mea.

Textus,

## TEXTVS.

Hunc ergo morem seruabis tu et filij tui in sempiternum. Cumque veneritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, sicut promisit, tunc seruabitis hanc cæremoniam: et liberis vestris interrogantibus, quid sibi velit, respondebitis, est Pascha Domini, qui præterijt filios Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, et domos nostras custodiens.

## EXPLICATIO.

**M**Emoriam beneficiorum suorum, Deus non vult vnâ cum beneficijs præterire. Nam ingratitude, non solum vehementer offendit Deum, verumetiam ipsis ingratis plurimum affert detrimenti, Omnem enim fructum accepto

## Explicatio de

Math. 18.

acceptorum honorum amittunt, vna cum gratia Dei, sicut accidit seruo nequam, grati verò manent in gratia, præstant Deo suum honorem, fruuntur donis Dei cum adsunt, eorumque memoria se consolantur, vt sperent deinceps quoque se curæ Deo futuros esse. Præceptum est igitur populo Israël, vt quotannis repeterent eundem ritum, ne singulare Dei beneficium ignotum maneret posteris, pro quibus iam rûm erat Deus, vt pater sollicitus, vt ex beneficijs, quæ patribus eorum præstitisset, ipsi quoque discerent vereri Deum eicque confidere. Nam propter hanc potissimum causam, instituit Deus ministerium verbi & caeremoniarum suarum, vt semper maneat recens memoria beneficiorum eius in ecclesia, vult enim in ecclesia beneficiorum suorum memoriam conseruari. Vnde ipse innotescat & glorificetur, homines verò grati & memores vtantur optima Dei et-

ga se voluntate, ad salutem suam æternam.

Est & parentibus pijs consolationi hæc Dei cura de posteritate. Nam si hominibus eam seriò commendat, multò magis ipse afficitur periculo posteritatis. Significat etiam pædagogica officia sibi plurimum placere, quibus adiuvantur parentes in iuventutis institutione. Cùm autem non pudeat Deum & Angelos in cœtu infantium & lactentium perpetuò versari, sciamus nusquàm nos feliciter vivere, quàm in medio pueritiæ, quæ instituitur de voluntate Dei.

Math. 21.

Psal. 8.

Est autem in hoc eodem loco recondita, castigatio non vulgaris, ad pœnitentiam referenda. Cùm enim parentes, natura ipsa magistra, intelligere debeant suum officium, ut liberos suos cùm in alijs rebus honestis, tum maxime in vera agnitione Dei & voluntatis eius, erudiant: Tamen adeò sunt immemores



## Explicatio de

- Deut. II. memores huius sui officij, vt cogatur Deus vsq; ad fastidium eos monere de liberis rectè instituendis, quanquam ne sic quidem multum proficit. Debet
- Deut. 6. autem & iuuentus suum officium agnoscere, vt amet doctrinam, seq; docilem præbeat, ac summo studio inquirat causas cæremoniarum, quas Deus instituit. Vt præterea discat & alias artes, ad religionis doctrinam ordine & perspicuè tradendam, necessarias. Quòd si de ritu veteris paschatis voluit Deus iuuentutem diligenter inquirere, cur esset institutus, multò magis est voluntas eius, vt iuuentus quærat de rebus noui Testamenti, quæ sunt æternæ, vt: quamobrem oportuerit filium Dei assumere humanam naturam, pati, crucifigi, mori, & tertia die resurgere à morte. Item, quæ causæ ministerij in ecclesia instituti, quid sibi velint sacramenta adiuncta, vt pote, Baptismus, absolutio singulorum: & cœna Domini. Ad  
has

has res cognoscendas, imprimis debent conferre sua studia, tùm pueri tùm adollescentes, alijs rebus interdum neglectis, quas non multùm refert scire, & nihil pertinent ad conseruationem & propagationem doctrinæ, quàm Deus maximè commendat, præsertim quæ est noui Testamenti, cuius beneficia multò plus habent admirationis, quàm illa, quibus populus Israël in Aegypto affectus est. In his, inquam, noui Testamenti rebus, debet iuuentus esse audissima, discendi nimirum ea, quæ sunt scitu necessaria, cum præsertim propter has potissimum causas & utilitates, hominibus data est loquendi facultas: vt indocti quærant, docti verò respondeant. Huic certè vni studio maxima sunt præmia à Deo propo-  
sita, nisi quòd pauci credunt ei promittenti. Propterea, quòd non sunt in conspectu quæ promittuntur. Neq; pœna vlla est grauior, quàm illorum, qui

## Explicatio de

doctrinam negligunt, siue in discenti-  
um, siue in docentium ordine versan-  
tur. Harum ergo rerum consideratione,  
se quisq; hortetur ad hoc sanctissimum  
studium & maximè necessarium, neque  
alia sectetur magis, spe maiorum com-  
modorum, vt sunt scripta hominum  
sapiētū & eruditorum, qui inter ethni-  
cos vixerunt, qui, quasi in cœca nocte,  
(quod dicitur) nauigantes, nihil certi de  
nostra salute & iusticia euangelica pferre  
potuerūt: neq; verò ipsis contingere po-  
tuit, vt rectū & nulla parte aberrantem  
cursum vitæ instituerent, qui esset vitæ  
propositus finis, aut nescirent, aut ve-  
luti per nubem spectantes suspicaretur,  
dicerentq; constantius quàm crederent.  
At sacræ scripturæ, tam longè ab omni  
errore remotæ sunt, quàm qui eas tra-  
didit Deus. Hæ sunt, quæ solæ nos  
certa, solida, rectaq; ducunt via, quæ  
que omni discussa caligine sequentem  
se non falli, non excidere, non vsquam  
aberrare,

aberrare patiuntur. Sit igitur nobis familiarior lectio sacrorum codicum, quam ethnicorum. Nam & Diuus Bernhardus alibi inquit : Præcepit nobis Deus, vt discamus, non argutias Platonis, nec versutias Aristotelis, sed doctrinam filij. Cœlestis enim doctrinæ & factæ scripturæ libri, Deum agnoscere docent, quem agnoscere vt creatorem omnium, ipsumque esse vnum, est vera hominis sapientia, vt etiam Lactantius primo libro inquit.

**T E X T V S.**

Tunc populus inclinavit se, et capita submisit, abieruntque filij Israel et fecerunt, sicut præceperat Deus Moyli et Aaroni.

**E X P L I C A T I O.**

K ij      *Commen,*

## Explicatio de

Commendat Moses obedientiam populi exequetis mandatum, quod ipse attulerat à Deo. Obseruandum est igitur exemplum, singularis obseruantiae erga verbum Dei, quam populus solo gestu significauit: significans se paratum esse ad praestandam obedientiam, sine vlla recusatione. Quo exemplo castigatur nostra ignauia, qui verbum Dei de beneficijs multo maioribus audiuius, & tamen nequaquam hoc animo sumus, vt ad accipiendum hoc verbum, continuò animum adiungamus, quamprimum audiuius. Causa hæc est, quod minus afficimur commodis spiritualibus, quam corporalibus. Ad hæc enim accipienda sumus promptissimi, ad illa verò tardissimi: priusquam nos obruunt angustiae, in quibus sunt peccatores, qui verè sentiunt peccatum suum & iram Dei. Tales enim sunt idonei ad Euangelium audiendum de gratia Dei, & remissio-

ne

ne peccatorum, suntq; illi violenti, qui Matth. II  
rapiunt regnum cœlorum, eoque con- Luc. 16.  
tenti, facile carent alijs thesauris.

Secundò, Moses suam quoq; modesti-  
am commendat. Neq; enim gloriatur de  
obedientia populi erga se, verùm, quòd  
omnes audito mandato dictum, factum  
parati fuerunt, vt exequerentur man-  
datum Dei. Quo exemplo suo Moses  
significat: omnium bonorum guber-  
natorum ac doctorum, hunc esse ani-  
mum, vt nihil magis cupiant, nisi, vt  
videant suos, obsequi verbo Dei & ve-  
reri Deum, & ex huius vnus honore,  
suum quoque honorem quærunt. Ac  
sperabat Moses, ex ijs initijs, se dein-  
ceps quoq; habiturum esse talem po-  
pulum, & eadem voluntate affectum:  
sed longè aliter accidit. Tantisper enim  
obtemperat populus legi, donec obe-  
dientia est iucunda, qualis erat illa,  
quæ pertinebat ad primogenitos ser-  
uandos, atq; ad liberationem de serui-  
tute

## Explicatio de

tute Pharaonis. Sed quando aliquid accidit aduersi, tunc obediendi studium refrigerat. Sic illiberales filij, diligunt parentes dum indulgent, castigantes verò, nequaquam diligunt.

### TEXTVS.

Media verò nocte, percussit Dominus omnia primogenita Aegypti à primogenito pharaonis, qui iam sedebat in throno eius, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et primogenita pecudum.

### EXPLICATIO.

**H**æc historia, præcipuam habet vim ad confirmandam fidem, frustra enim ferè datæ essent tum promissiones, tum cominationes diuinæ, nisi exempla essent addita: quæ ostenderent, quòd De-

us & promissiones & minas suas abundè impleuerit: illas in obedientibus seruãdis, has verò in superbis & repugnantibus voluntati suæ, puniendis. Sicut igitur Deus ostenderat per Moſen, fore, vt primogenita Aegyptiorum perirent, filijs verò Iſraël nihil huiusmodi accederet: ita re ipſa præſtitit, quod promiſerat: euentu proſus congruente, cum vaticinijs. Hac potiſſimum ratione probat Deus, ſe vnum eſſe verum Deũ, tantæq; potentia, vt vel omnibus inuitis & repugnantibus ſeruet promiſſa. Quamobrem, nihil eſt hoc ſtudio ſalutarius, quo totum verbũ Dei diligenter conferimus, cum ipſis euentibus: ſic enim maximè plantatur, retinetur & creſcit fides in animis. Propter hoc idẽ ſtudium Lucas cap: 2. Comẽdat Mariã matrẽ Ieſu, quòd conferebat omnia in corde ſuo, quæcunq; viderat & audierat de filio ſuo. Ita pijs, cum videret in Aegyptio primogenitos ſuos omnes ſeruatos



## *Explicatio de*

esse, ita, vt ne vnus quidem interfectus sit: Contraq; in vniuersa Aegypto, nec hominum, nec pecudum primogenitum vllum superesse, facilius adducti sunt, vt deinceps quoq; facilius crederent verbo Dei, qui promittit, sibi curæ fore obediētes; cæteros verò perituros, & præstat Deus vtrunq; perfectissime. Colligamus igitur primùm promissiones datas ecclesiæ: præsertim in Psalmis & nouo Testamento. Deinde & comminationes aduersus diabolū & mundum, qui nos acerrimè oderunt. Tertio, exempla vtriusq; generis, quò minus dubitemus, quin etiam nunc præstò nobis sit Deus, si nobis verbum eius est cordi, ad hostes nostros suo tempore coercedos. Neq; enim ex humanis auxilijs, quæ nulla sunt, pendere debemus, ac ne quidem si adessent, cum nihil valeant, sed ex solius Dei auxilio, qui, neq; nostro, neq; vllarum creaturarum adminiculo, indiget,

get, ad nos conseruandos, siue alijs modis, quos habet multos & infinitos, siue per diem nouissimum, in quo perficiet salutem ecclesiæ suæ, omnesq; promissiones suas implebit in ea glorificanda: In impijs verò comminationes, quas nunc quidem rident, sed cum æterno suo malo,

TEXTVS.

Tunc surrexit Pharao et omnes serui eius in nocte illa, omnes denique Aegyptij cum clamore magno. Nulla enim domus erat, in qua mortuus non esset inuentus.

EXPLICATIO.

Hæc est amplificatio superiorum, de terribili iudicio Dei, quod exercet in impijs. Cùm enim neque verbis  
K v credant,

## *Explicatio de*

credant, neq; pœnis emendentur, imò subinde fiunt duriores, pœnæ quoque crescere solent: sed præcipuæ sunt plagæ animorum, qui sic terrentur, vt nullam iuueniant consolationem ac subinde deterius aliquid metuant, id quod apparet in tyranno Aegypti, & vniuersa multitudine eius. Satis enim spacij dederat Deus Aegyptijs ad pœnitentiã agendam, sed perpetuò, cum contemnerent visitationẽ propiciam, inciderunt in tempus iræ Dei & furoris, in quo plena sunt terrore omnia, nihilq; nisi dolor, luctus ac desperatio. Sed hinc sumendæ sunt certæ coniecturæ, quàm infelix sit futura conditio impiorum post hanc vitam: quantæ angustia, quàm multiplices plagæ, & alij terrores ex alijs, absq; vlla consolatione: Luctus denique & vlulatus, nunquã intermissi. Horum malorum omnium, imago quædam fuit ille tumultus Aegyptiorũ, nocturnus, post primogenita occisa, factus. Voluit enim

enim

enim Deus, etiam in hac vita, quædã insignia exẽpla extare sui iudicij: vnde appareret, quæ fortuna tũ pijs tũ impijs sit expectanda, post hanc vitam, nõ tam propter impios, qui nõ auscultãt, quã propter pios admonendos, & propter suam ipsius gloriã tuendam, quò minus ab impijs accusari posset, quasi nõ essent admoniti per exempla etiam, inter quæ præcipuum locũ obtinent diluuiũ, confusio linguarum in Babylone, Sodomorum incendiũ, plagæ Aegyptiorum, interitus Chananæorum, & huius populi Iudaici, propter quem Deus Aegyptios & Chananæos deleuit.

Gen. 7. 11  
Exod. 12.  
Ios. 11.

Cũ autem hæ pœnæ veteres commemorantur, non sunt prætereundæ recentes & propriæ postremi temporis, in quo grassatur horrenda barbaries, propter neglectam lucem Evangelij, vnde per Mahometicum tyrannum Turcam, successit seruitus longè tristior illa, quæ fuit in Aegypto.

Hoc,

## *Explicatio de*

Hoc, si minus impij intelligunt, qui adeò sunt mente capti, vt omnem culpam harum calamitatum tribuant verbo gratiæ, quo ad agnitionem suæ culpæ vocantur cum promissione veniæ. At nos decet hoc animaduvertere, quibus veræ causæ notæ sunt ex verbo Dei, ne vnâ cum mundo, pergamus irritare iram Dei, sed agamus pœnitentiam, & petamus mitigari pœnas, ne defit facultas exercendæ veræ doctrinæ, quam facultatem inter arma turcica habere non possumus, quibus nihil vnq̃ fuit immanius. Itaq; hæc tyrannis ad postrema hæc tempora, omnium maxime calamitosa, seruata est, vt mundus luat pœnas extremæ suæ impietatis, quæ consecuta est ex contemptu verbi Dei. Ac Deus testetur, iam nulla amplius exempla, corporalium pœnarum superesse, & prope instare tempus, quo vniuersale iudicium filius Dei est celebraturus.

Interea

Interea in medijs ærumnis, hanc te-  
neant p̄i consolationem, quòd sunt cu-  
ræ Deo, qui mirabiliter seruat suos, neq̄  
moueantur hostium successu: Quem-  
admodum docet Psalmus 72. & 73. Item,  
37. & alij. Sicut enim ecclesiam suam de-  
fendit in diluuiō, in Aegypto, in Ba-  
bylone sub tyrannis, &c. sic etiam tue-  
bitur eam sub armis Turcicis, aliorumq̄  
tyrannorum, nec sinit hostes in infini-  
tum grassari: est enim iustus iudex, ser-  
uans bonos, eorumq̄ quærelas non  
contemnens, malos verò coercens.

Pharao paucos Hebræorum infantes Is Phara-  
occiderat, sed pro his, omnia primoge- o, nō ille  
nita totius regni sui, vna nocte amisit, fuit, qui  
nec erat domus in qua mortuus non amabat  
esset inuentus: sicut textus declarat: Ioseph,  
omnes enim vno nomine mortis, mor- sed alter,  
tuos habebant innumerabiles. Sapien- qui cum  
tiæ 18. Nec ad sepeliendum viui suffi- nō noue-  
ciebant: quoniam vno momento, quæ rat. Pha-  
erat præclarior natio illorum, extermin- raō enim  
nata

## Explicatio de

non erat nata est. Multò minus impune abire propriū finet turcicum latrocinium, quod horribilem sauciā exercet in ecclesias Dei: sed communis tū floridam. His atq; id genus alijs rationibus, excitemus nos ad patientiam, ne temere abijciamus studium verbi Dei, cuius augendi gratia, non minuiendi, Deus subijcit ecclesiam cruci, cuiusq; onus hoc magis augetur, quo propius instat liberatio. Ita sancti consolationem haurire debent, vnde cæteri amorem sumunt, quò grauius enim affliguntur, eò citius liberantur, sicut ex omnium sanctorum exemplis, intelligere licet, imprimis verò vnigeniti filij Dei. Nunquam enim maiore in discrimine fuit, quàm tunc, cum iam proximè instaret eius glorificatio. Hancq; consolationem nobis, proponit ipse Dominus: adducta similitudine arborum, quarum folia, cum primùm nascuntur, sunt signa præteritæ hyemis & æstatis futuræ.

futurae. Itaque non in presentibus ærumnis atque angustijs, sed in futura salute & gloria mentem & cogitationem nostram, fixam habere debemus.

TEXTVS.

Et accersitis ad se Mose et Aaron eadem nocte, dixit: Accingimini et exite de meo populo, vos et filij Israel, euntes seruite Domino, sicut dixistis, ac sumite vobiscum oves et boues, sicut postulatis, ite et mihi quoque benedicite.

EXPLICATIO.

**M**ulta in his verbis digna sunt, quæ obseruentur, utilissima ad agnoscendam providentiam & mirabilem gubernationem Dei. Primum enim docet



## Explicatio de

docet hic locus, hunc solum esse verè Deum, qui dedit verbum Mofi, & mandatum de populo Israël liberando è seruitute Pharaonis. Omnia enim sic eueniunt, sicut prædixerat, quòd post plagas nouem, ordine missas, tamen Pharaon non esset populum dimissurus. Post decimam verò plagam, quæ cæteris omnibus plagis acerbior esset futura, adeò cupidum fore populi dimittendi, vt vltro sit eum hortaturus ad abeūdum. Cùm igitur Deus hic omnia hominum cogitata, multò magis dicta & facta in infinitum prouideat, qui dedit verbum Mofi & Prophetis, deinde Apostolis, satis apparet, nullum alium Deum esse agnoscendum.

Secundò, nulla potentia tanta est, quam idem Deus, cùm vult, frangere non possit. Nam Pharaon, paucis diebus antequam hæc gesta sunt, grauissime interminatus erat Mofi, ne amplius in conspectum suum veniret, nisi  
Exod. 10. continuo

continuò mori vellet. Nunc verò cogitur vltro accelerare Mosen & Aarone[m], eisq[ue] supplex fieri, vt quàmprimùm agant hæc omnia, quæ antea ipsis negauerat. Habet ergo Deus noster infinitam potentiam cogendi, quantumuis repugnantes tyrannos, vt faciant ea, quæ ipse vult pro sua gloria, & populi sui vtilitate. Hinc igitur fiduciam capere debemus, contra dubitationem naturalem, qua in rebus aduersis arbitramur vel ignorari à Deo, quo in loco & statu sint res nostræ, vel non posse nobis opem ferri, propter nimiam rerum nostrarum difficultatem, vel certè nos negligi, propter obscuritatem vel indignitatem. Contra hæc omnia, Deus ædedit admiranda testimonia. Primùm, quòd multò melius nouit nostra omnia, quàm nos ipsi. Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos, vt Psal. ait: Nouitq[ue] omnium hominum cogitationes, priusquam eis in mentem veniant,

Psal: 99.

Hier. 17.

## Explicatio de

**Psal. 7.**

**Deus nō  
impedi-  
tur circū  
stantijs,  
sicuti  
nos.**

& constituit quantum eis velit conce-  
dere, sine suæ gloriæ & ecclesiæ de-  
trimento. Deinde tanta est eius po-  
tentia, vt si omnes secundæ causæ &  
creaturæ repugnarent: Tamen efficiet  
omnia, quæ vult, quolibet tempore  
& loco. Neq; enim indiget cuiuscūq; au-  
xilij, nec potest vllis rationibus aut cir-  
cumstantijs impediri, quò minus ea per-  
ficiat quæ vult. Postremò, non est dubi-  
tandum de eius voluntate: quam tot  
illustribus testimonijs probauit in ver-  
bo suo, erga omnes, qui timent eum,  
neque sunt Pharaoni superbo similes;  
sed parati ad verbum eius accipiendum,  
petuntq; auxiliū vbiunque opus  
est. Nullum enim tantum est pericu-  
lum, in quo Deus aut nolit, aut non  
possit opitulari, si eum sine dubitatio-  
ne inuocamus.

Tertiò, docet Moses in iisdem verbis,  
quanta sit impiorum hominum cœ-  
citas & insania. Cū enim plectun-  
tur,

tur, non agnoscunt suam esse culpam, sed conferunt eam in populum Dei: propterea hunc a se abigunt. Sic tyranni in Israël, occidebant Prophetas, tanquam authores malorum. Sicut Achab ad Eliam ait: Tu es turbator Israël, Iudæi, omnium suarum calamitatum culpam, Christo & Apostolis adscribebant. Ica Gadareni abigebant Christum, propter porcos amissos, Lucae capite 8. Sic & Pharao populum Israël sibi grauem esse iudicabat: cui tamen ipse grauis erat, & quidem pro magnis beneficijs, quæ tota Aegyptus, per diuinam benedictionem consecuta erat: Propterea, quòd hospicium huic populo præbuerat, in annonæ difficultate. Pletebatur autem diuinitus, non propter populum hunc, sed propter tyrannidem & idolatriam, ac alia peccata sua. Hanc igitur culpam suam, ex pœnis cognoscere debuit, &

## *Explicatio de*

Vnà cum populo Dei, verum Deum colere. Sed vnà cum populo abigit à se omnino Dei gratiam, & benedictionem, vt in huius locum succedat extrema maledictio. Sicut Psa: 108. scriptum est: Benedictione noluit, & procul recessit ab eo, maledictione voluit, & induit eam, tanquam tunicam. Euenit hoc Pharaoni, qui postquam populum Dei extrusit è regno suo, paucis post diebus, cum omni equitatu & præcipuo robore Aegypti, perijt in mari rubro.

Sed iam explicatis doctrinis, quas ex hoc loco collegimus, videamus figuram quoque & significationem rei. Nam hic quoque locus ad figuram referri potest, sicut & alij superiores. Quæcunque enim circa veterem istum Agnum facta fuerunt, hæc in nostro nouo AGNO Christo completa sunt. Sicut enim Israëlitas ex Aegyptiaca seruitute Moses, ( tametsi pluribus plagis tyran-

num

num Pharaonem terrebat, non potuit liberare, donec immolaretur Agnus, ( tunc enim sanguine Agni victus est ) antea siquidem neq; Moses, neq; Aaron cum omnibus suis prodigijs, filios Israel ex Aegypto educere poterant, quia per hoc animum regis Pharaonis magis exasperabant, & ad iram prouocabant, atq; ita, vt populus penè desperaret, ac diceret: Videat Dominus & iudicet, quoniam foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuiſtis ei gladiū vt occideret nos. Et Moses ipse quærebatur coram Domino: Quare, inquit, me huc miſiſti, & non liberaſti populum tuum? Cæterum, occiſo Agno etiam tacente Moſe, rex vltro populum dimittebat. Sic generi humano neq; Iudaica lex, neq; ſacerdotum Leuiticum, ſalutem conferre poterat, donec Chriſtus verus AGNVS victima fieret. Vetus ergo ille Agnus immolatus, per cuius occiſionē libera-

## Explicatio de

bantur Israelitæ ex Aegypto, significabat præcipuam ac veram liberationem à peccatis & morte, per Christum. Et sicut per Agnum illum paschalem de manu Angelorum, qui occiderunt primogenita Aegyptiorum, seruati sunt fideles Domini, ita per Christum credentes seruatur à diabolo: fuitque Agnus ille paschalis, quasi exemplar huius veri **AGNI**, qui vêturus erat in hunc mundum, ut victima esset, sicut iam dictum est superius. Ergo ex præmissis omnibus, quæ hætenus de veteri Agno paschali explicuimus, planissimum est, quod Christus verum sacrificium fuit, cuius typus fuit in immolatione Agni illius, & vera victima pro mundi vita.

Statque sententia, quod Christus est verus **AGNVS**, verumque pascha, & quod ritus ille & figura veteris Agni, imò cum ipso tota lex (ut superius quoque prænotatum est) abolita est. Vetera enim transierunt, ecce noua facta sunt omnia,

omnia. Omisso igitur Agno legali, ad verum A G N V M nunc nos conuertamus. Quemadmodum enim illic, occiso Agno, statim promissiones Dei de liberatione seminis Abrahamæ, & introductione in terram Canaan, impleri cœperunt: Sic occiso Christo, omnes nunc promissiones Dei sunt, Amen.

Quòd autem ( vt ad textum ipsum redeamus ) iussit Pharaò populum Israël seruire Domino, & iuuic populum omnibus ad sacrificandum necessarijs, petens etiam pro se orari, id non pugnat cum his, quæ dicta sunt: Nihil enim istorum factum est timore & fide erga Deum, sed ex terrore inordinato & metu grauioris alicuius mali. Cùm igitur cor sit malum & impium, nihil ex eo boni proficisci potest, sed fingamus, tyrannum seriò mandasse, vt populus sacri-



## Explicatio de

ficaret Deo suo, & pro se oraret. Tamen id nihil ei profuit, manenti in impietate sua, sine omni pœnitentia & fide.

Abac. 2.  
Heb. 10.  
Rom. 1.  
Gal. 3.  
Ioan. 3.  
Act. 8.  
1. Reg. 15.

Iustus enim ex fide sua viuit, non aliena, vt ait Ioan: Apostolus, & prohibitum est orare pro peccato, quod est ad mortem: hoc est, pro tali peccato, quale est Diaboli, per quod homines de industria persequuntur verbum Dei & ecclesiam eius. Sic in Actis Apostolorum, Simon magus petit quidem à Petro & Ioanne, vt orent pro se, ipse autem non audebat inuocare Deum: Itaq; nec Apostoli orabant pro eo. Nec Samuel precabatur pro Saule excusante peccatum. Deniq; Deus apud Prophetam palàm testatur, se nullius sancti preces auditurum pro ijs, qui manerent impij, & nollent conuerti. Habes hic exemplum. Pro Pharaone enim & Aegypto, prius orabant Moyfes & Aaron, & liberant Aegyptum à plagis, sed quia permansit in sua impietate & obstinatione,

tionem, ergo postea non est capax benedictionis, quam petiuit.

Hinc ergo facile iudicari potest, quid de impiorum intercessionibus sit sentiendum. Nam si Deus suorum charissimorum preces rejicit, pro hominibus perseverantibus in peccato, quid valent preces impiorum, quos Deus abominatur? Nam Deus non exaudit Ioan. 9. peccatores, hoc est: eos qui sunt impij, aduersarij, inimici & osiores eius, nec resipiscere volunt, sed perseverant in sua impietate. *Esaia* 1. dicitur: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quamobrem? quia manus vestrae plene sunt sanguine, hoc est, nondum estis reconciliati mecum, adhuc estis in peccatis & impoenitentes. Necessarium igitur est, vt oraturi, ante omnia reconciliati sint cum Domino, vt habeant Deum propitium. Non reconciliamur

## Explicatio de

autem, nec redimus cum Deo in gratiam, nisi per pœnitentiam, hoc est: per agnitionem peccatorum, & fidem in Christum: solus enim est Christus, qui nos recôciliauit cum Deo, propter quæ orationes nostræ exaudiuntur coram Deo, sicut ecclesia catholica precatur, omnes orationes suas exaudiri, per Christum dominum nostrum, &c. Ideò verò non exaudit Deus huiusmodi preces, quæ fiunt pro obstinatis, quia non comprehenduntur in intercessionem mediatoris, qui non pro quolibet peccatore orat, sicut testatur eius precatio ante passionem habita: non rogo pro mundo. Quanquam enim mortuus est pro toto humano genere, tamen applicat sacrificium suum per intercessionem, ad eam tantùm hominum partem, quæ cum intellexit peccatum suum per reuelationem diuinam & verbum Apostolorum, non contemnit, neq; persequitur hoc verbum, sed

Ioan. 14.

Ioan. 17.

sed agit pœnitentiam & credit, Deum sibi esse propitium propter filium. Altera pars hominum manet in ira Dei & maledictione cum diabolo, cuius auctoritatem voluntati diuinæ antepōnit, & tamen cogitur subdita esse Deo, quamuis inuita, sicut Pharao dimit- tens populum, cum indignatione,

TEXTVS.

Et Aegyptiꝝ consternati, vr-  
gebant populum, vt quàm pri-  
mum exiret ex Aegypto. Dice-  
bant enim, filiꝝ mortis sumus  
omnes.

EXPLICATIO.

**H**Oc addidit Moyſes ad commenda-  
tionem iusticiæ diuinæ, ne videre-  
tur Deus propter tyranni peccatum,  
yniuer-

## Explicatio de

uniuersam Aegyptum percussisse. Quales enim princeps, tales subditi quoque eius hærebant, æquæ enim oderant populum Dei: Quamobrem, easdem etiam pœnas patiuntur, cum in animis, tum in corporibus. Nam præter corporales, sentiebant in animis horribiles angustias, quod maximum est, & carent omni consolatione: Tandemq; ruunt in maiora subinde peccata: Interq; est & illud, quòd culpam malorum omnium, in populum innocentem transferunt. Hæc est conditio illorum omnium, qui obstinatè contemnunt verbum Dei, & indurantur, sicut Pharaon cum suis Aegyptiis, quos nullæ pœnæ poterant emendare. Et ex talibus exemplis, petenda est definitio mundi. Est enim mundus (sicuti in verbo Dei describitur) ea pars hominum, quæ non modò ignorat Deum, sed castigata per verbum Dei, fremit & indignatur, omniumq; pœnarum culpam confert in meliorem

liorem partem generis humani, quæ audit verbum Dei & facit: Ruens deniq; in alias pœnas ex alijs, donec funditus deletur, atq; in æterna supplicia conijcitur. Sic omnes homines ignorantes Deum, phrasi scripturæ, mundus vocantur. Sed ecclesia Dei est, ea pars generis humani, quæ non odit, nec persequitur verbum Dei, sed ex animo agnoscit, se meritò castigari, tum verbo, tum pœnis, agens pœnitentiam & credens, sibi Deum ignoscere peccata, propter satisfactionem mediatoris, quodq; propter eundem libera futura sit ab æternis pœnis. Postremò & corporales suas calamitates partim tolli, partim mitigari credit, ex ea gratia Dei, in qua est. Facta igitur comparatione, coniungamus nos cum vera ecclesia catholica, & à mundo seingamus, priusquam venimus in consuetudinem contemnendi verbum Dei, sic, vt & innocentes homines & doctrinam salutarem

## *Explicatio de*

eatem accusemus, nos verò excusemus, qui furor postremus est impiorum hominum, sicut exempla testantur, tum alia omnia, tum Pharaonis & Aegyptiorum.

### T E X T V S.

Et populus ferebat massam farinae fermentatam, ad cibum suum, ligatam vestimentis, et humeris impositam.

### EXPLICATIO.

**H**Oc factum populi, nō indicasset Moses, si esset humano arbitrio susceptum, sed quia mandatum Dei singulare fuit, de azymis comedendis, iudicavit hanc obedientiam populi, dignam esse praedicatione, propter exemplum. Nam per verbum Dei, magna fiunt omnia, etiamsi minus lucent in oculis

lis hominum. Contra, nullas sunt precij, quæcunque sine verbo Dei fiunt, quantumvis splendida esse videantur. Hæc sententia omnibus pijs commendata esse debet. Nam sine verbo Dei, nihil est sanctum, cum eo verò, sancta sunt omnia. Est autem in hac etiam imagine veteris populi, gestantis secum panes azymos, aliquid propositum, ad nostram doctrinam. Si enim non pigebat populum illius oneris, quò tantum corpori alendo proderat, multò minus nobis molestum esse debet, ferre nostrum panē Azymum, hoc est, Christum cum verbo suo & sacramentis, ut semper habeamus copiam in promptu, animos nostros alendi, ad vitam æternam: Etsi enim magnæ molestiæ coniunctæ sunt, cum studio verbi Christi: tamen utilitatis magnitudo, facilè minuit verè pijs, omnes difficultates. Præterea, iucundum est habere bonam conscientiam, quæ



## Explicatio de

quæ tantùm in his est, qui faciunt ea, quæ Deus præcepit. His ergò cogitationibus, hortemur nos ipsos ad patientiam, vt libenter agamus omnia, quæ cum voluntate Dei congruunt, cum præsertim hæc obedientia nobis adferat, fructus multò maiores, quam illi fuerunt, quos populus Israël tulit ex sua obedientia, quam præstitit Deo in gestanda massa panis in fermentati. Totum deniq; Testamentum nostrum, vt præstantius est, ita etiam maiorem obedientiam meretur.

Teguntur autem eius beneficia longè maxima, per externam humilitatem. Primùm enim in ipso mediatore fuit humilitas extrema, adeò, vt Moses apud Aegyptios, longè maiorem haberet speciem, sicut ipse scribit de se, in præcedenti capite. Secundò, ministerium quoque est minimè speciosum. Tertio, ministri eius fideles & boni, nullam omnino præ se ferunt gloriam. Quarto,  
populus

populus ipse, & exiguus est, & veluti exul in mundo. Hæc omnia vehementer offendunt rationem humanam. Atq; ideo Christus toties monet nos, ne offendamur humilitate regni sui, si salui & beati esse volumus, neque reijci, cum superbis Iudæis & alijs, propterea, quòd foris nihil magnum apparet, in regno Christi.

## T E X T V S.

Fecerantque filij Israel, sicut iusserat Moyses, et petiuerant ab Aegyptijs auream et argenteam suppellectilem, hoc est, vasa aurea et argentea, cum vestimentis. Ad hoc autem, dederat Deus gratiam populo coram Aegyptijs, vt ei commodarent, et spoliarent Aegyptios.

*Explicatio de*  
EXPLICATIO.

**NO**uum hoc & valde rarum exemplum est, quòd Deus mandauit populo, vt defraudaret Aegyptios, contra suum ipsius præceptum: Non furtum facies. Neq; enim hic locum habet illa responsio, de lege nondum data, hoc est: si quis ita responderet: hoc Deum prius mandasse, vt populus Aegyptios defraudasset, quàm lex data est. Nam Decalogus in ipsa creatione datus est homini, estq; lex vniuersalis, à qua nemo hominum est exceptus. Hoc autem modo, est hic respondendum, quòd Deus per singulare mandatum, potest quòd vult à generali excipere. Cumq; sit contra Dei naturam, velle & præcipere peccatum, sequitur, neq; hoc esse iniustum, quod iubet populum Israël, defraudare Aegyptios.

Nec illud fuit peccatum, quòd Iacob  
Gen. 30. Patriarcha, iuxta voluntatem Dei, so-  
cerum

erum suum Laban defraudauit & de-  
cepit, præsertim, cum accederet au-  
thoritas diuina, qua iubebatur hoc fa-  
cere. Plus ex te sensit Laban commo-  
di, dixit Angelus, quam tu ei possis  
rapere: Ideo iure potes uti arte & fal-  
lacia, ut ab eo aliquid auferas, non  
raptum, sed à Deo ipso concessum &  
datum. Est enim Deus vniuersalis Do-  
minus, omniũ hominum & rerũ huma-  
narũ: ergò habet infinitam potestaté de-  
cernēdi, de rebus humanis, pro suo arbi-  
trio, cõstituens dominia, & transferens  
nõ ad tollēdam iusticiã, sed stabiliendã. **Eccles. 10**  
Transfert enim ea ab iniustioribus do-  
minis, ad iustiores, ut: cum Laban gene-  
rũ suũ Iacob, debita mercede defrauda-  
ret, idē Iacob Deo cõmitteret, accidit,  
ut per benedictionem diuinam, com-  
moda auari Laban, trãsirent ad Iacob, cuius  
opera Laban erat locupletatus. Sed &  
iure humano excusatur Iacob, quod  
cõcedit ijs, qui seruiunt dominis auaris  
M ij & iniquis,

## *Explicatio de*

& iniquis, si nihil mercedis soluant, vt rapiant, quod debetur eis pro mercede. Per quod docemur, iniquis & iniustus dominis, non bene solventibus seruiticia, libitum esse seruo, accipere aliquid pro mercede sua, etiam domino nesciente, sed debito modo, ne fiat id, cum detrimento domini sui.

Sic filij Israel spoliauerunt Aegyptum, mercedem accipientes iniustæ seruitutis, quam Aegyptij nondum persoluerant. Et quia Pharaon cum suis Aegyptijs, filios Israel, iniustissima seruitute oppressit, labores eorum augendo, & mercedem minuendo, ideo hanc tyrannidem, ita ultus est Deus, vt cum Aegyptij laboribus Hebræorum, suas opes iniuste auxissent, nec ius suum Hebræis redderetur, ipse, vt uindex esset ad iniusticiam puniendam, & iustio rem partem tuendam, quod hac ratione placuit ei fieri, vt populus peteret suppellectilem præciosam ab Aegyptijs, & ipse

ipse voluntates Aegyptiorum impelleret, ne recusarent, quod petebatur, dare, præcepit & dedit mandatum, ut hæc faceret. Ad cuius mandatum, impietas fuisset Aegyptios non defraudare, & nõ spoliare. Fuit igitur vindicta licita, quia fuit à Deo mandata cum pmissione, de successu. Quicquid enim à Deo mandatur, id sine vlla dubitatione, sanctum est & licitum, neq; commissum est furtum, à filiis Israel, (furtum enim est cõtractatio rei alienæ, invito domino) quia acceperunt bona Aegyptiorum à vero domino, cum optima eius voluntate, hoc est, à Deo, cuius in manu sunt & ipsi homines, & quæcunq; ab eis possidentur. Itaq; dat ea cui vult, & cui vult adimit. Quibus autem dare velit, promissio declarat: Beati mites, quia possidebunt terram. Sunt enim omnes impij, rerum suarum iniusti domini. Non possunt igitur non priuari suis dominis, quocunq; tempore id eueniat. Pij

Matth. 5.

## Explicatio de

verò, hæreditas omnium bonorum, æterna promissa est à Deo. Necessè est igitur eos esse hæredes terræ, cum sint etiam hæredes regni cœlorum.

Matth. 6. Hinc sumitur iucundissima consolatio, contra tyrannidem & iniurias impiorum, quibus p̄j sunt obnoxij in hac vita. Nam etiamsi ius suum in hoc mundo consequi non possint: tamen Deo sunt curæ, qui suo tempore mirabiliter eis prospicit de rebus huic vitæ necessarijs, etiamsi longo tempore eos egere patitur, sic enim promisit in verbo suo, quòd nullo in periculo deserere suos velit, siue illud sit spirituale siue corporale, iuxta illud: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Item: conijce curam tuam in domino, & ipse te eruet.

Psal. 90.  
Psal. 54.

Neq; verò exemplum Iacob & Israelitarum, generaliter transferendum est ad nos, qui nullum nec mandatum Dei

Dei habemus, nec promissionem, de  
re aliena nobis vendicanda. Nobis e-  
nim mandatum est, ne reddamus ma-  
lum pro malo, nec vlciscamur ipsi in-  
iurias, sed committamus omnem vin-  
dictam Deo, iustè iudicanti, quibus  
mandatis Deus prospexit nobis de  
tranquillitate. Cùm enim etiam fe-  
rendo omnes iniurias, vix licet no-  
bis quiescere, quid fieret, si ius no-  
strum sæuerius persequeremur? qui er-  
go amant pacem, etiam ex bono suo  
iure, aliquid potius exmittere debeant,  
quàm vt lites sectentur, etiamsi ius su-  
um tueri queant.

T E X T V S.

Itaque profecti sunt Filij Isra-  
el de Ramesse in Socoth, erant  
que peditum sexcenta millia, ex-  
ceptis pueris et mulieribus. Sed  
M iij seque-

1. Thef. 5.

Ramesse  
tonitruū  
gaudij.  
Socoth



## Explicatio de

taberna-  
cula, ver-  
tit Hiero  
nym. To  
mo 4. sequebatur et vulgus promiscuū  
innumerabile, præterea bouum et  
ouium ingens numerus.

### EXPLICATIO.

**H**ic locus commendat veritatem Dei  
& fidem in seruandis promissioni-  
bus. Sicut enim Abraham promiserat  
Gen. 12. & 18. magnam posteritatem ex filio Isaac, &  
Gen. 46. ipsi quoque Jacob Patriarchæ, cui man-  
dat, vt descendat in Aegyptum, factu-  
rum eum ibi in gentem magnam: Ita  
iam re ipsa hoc præstitit. Jacob enim,  
Deut. 10 vt ibidem scriptum est, cum filiis &  
nepotibus, quorum animæ fuere sep-  
tuaginta, ingressus erat in Aegyptum.  
ab his, vsque ad quartam generationem,  
creuit populus in tantam multitudi-  
nem, & exiit cum magnis opibus, si-  
cut Deus promiserat. Fuitque hoc eò  
mirabilius, quòd populus fuit in magna  
seruitute, multosque infantes per crudele  
Pharao

Pharaonis edictum, amisit. Nec mutare solet Deus verbum suum, propter nostram indignitatem, ne quis ita cogitet, Abrahamo tantum & alijs sanctis viris seruatas esse promissiones, quibus nos sumus dissimiles. Seruat enim Deus verbum suum, non quia nos meremur, sed quia verax est. Itaque sanctissimi quique sic orant: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, pro misericordia & veritate tua. Ex hoc igitur loco discamus Deo confidere, nobisque hanc sententiam assidue inculcemus. Si Deus adeo fidelis fuit in seruandis promissis, erga populum corporalem & seruum: quanto minus erit immemor earum promissionum, quas dedit populo noui Testamenti, qui est spiritualis, habetque à Deo promissam hereditatem regni caelorum? Hanc suam fidem admirando pignore firmavit, misso vnigenito filio in mundum, qui poenas lueret pro hominibus

## Explicatio de

minibus reconciliandis, vt nulla dubitatio relicta sit, quò minus cætera quoque daturus sit, quæ promisit.

Quanquàm autem ecclesia noui Testamenti, videtur esse minus fœcunda, quàm vetus erat: Tamen credimus eam esse frequentissimam, quemadmodum docet Paulus ad Galatas 4. ex 54. Esaia. Lætare tu sterilis, quæ non paris, rumpe vocem & clama, quæ non es grauida, plures enim sunt liberi deserta, quàm eius, quæ habet virum. Citat hunc locum Paulus ex Esaia, qui totus est allegoricus: significans, quòd mater numerosæ proles, quæ est Hierusalem terrena, pertinens ad Agar, quæ virum habet, infirmari & perire debet, & e contra sterilis, quæ est Hierusalé spiritualis & cœlestis, pertinens ad Saram, quæ nõ parit, abundare filiis debet. Quare Sara seu Hierusalem mater nostra libera, est ipsa ecclesia, Christi sponsa, ex qua generamur omnes: generat autem ipsa  
liberos

liberos sine intermissione, usque ad finem mundi, dum exercet ministerium verbi, hoc est, dum docet & propagat Euangelium. Hoc enim eius generare est. Ut ergo maximè videatur Sara, hoc est, ecclesia, coram mundo esse deserta & sterilis: Tamen coram Deo, teste Propheta, fecundissima mater est, infinitorum liberorum.

Fuit autem Abraham pater duarum posteritatum. Alterius secundum carnem, alterius secundum spiritum, ad quam pertinent, non solum Iudæi, verum etiam Gentes, propter communem promissionem, quæ semen Abrahamæ, qui est Christus, pariter Gentibus & Iudæis pollicetur. Hæc posteritas, cum latius pateat, quàm carnalis, multò est etiam amplior, quàm illa. Propterea Deus dedit duplicem promissionem diuersis temporibus, ad duplicem eius posteritatem, significandam.

Gal. 3.  
Gen. 16.  
& 21.

## Explicatio de

Prior extat capite 13. Genesis: Vbi eam Deus comparat pulucri, quæ similitudo apte conuenit carnali posteritati, quæ terrestris est, & in puluere habitat, eamq; ob causam à Paulo terrestris Hierusalem appellatur. Posterior est capite 15. Ex Isaac enim iuxta promissionem nato, promittit Deus Abrahæ tam frequentem posteritatem, quam multæ sunt stellæ in cælo: Hæc similitudo recte conuenit ecclesiæ, quæ est ex fide Abrahæ, & hæres regni cælorum: vel, vti Paulus ait, cælestis Hierusalem, cuius figura est cælum cum suis luminibus. Atq; ad hanc promissionem Moses posuit commendationem de fide Abrahæ, quæ imputata est ei ad iusticiam. Significans, tantùm fide homines consequi, vt fiant spirituales posteri Abrahæ, destinati ad regnum cælorum.

Hæc consolatione nos sustentemus, ex Abrahæ familia carnali, certum est enim, quòd promissio de Christo non  
minus

minùs ad nos pertinet, quàm ad Iudæos, sicut totum nouum testatur Testamentum. Imo reiectis tandem Iudæis, in solis Gentibus mansit verbum de Christo, sicut Christus inquit Matth. cap. 8. Venient multi ab oriente & occidente, & accumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni, efficiuntur in tenebras exteriores. Hæc autem eiectio, non solum de Chanaan, quæ adhuc ferenda esset: verumetiam de gratia Dei & regno cœlorum, vnde Iudæi in æternam maledictionem sunt abiecti, intelligenda est. Et harum rerum omnium in hoc loco meminisse prodest, ne nudam tantum historiam cognoscamus, sed collata Iudæorum & nostra conditione, intelligamus, quantò melior sit nostra, si verè credimus Euangelio.

## TEXTVS,

Coxeruntque malsam farinæ,  
quàm

## Explicatio de

quam ex Aegypto secum tulerāt,  
et subcinericios panes azymos fe-  
cerunt, neq; enim fermentata erat,  
propterea, quod ex Aegypto vi  
pulsī fuerant., nec mora vlla da-  
batur ad cibum parandum.

### EXPLICATIO.

**V**Sq; ad fastidium ferè meminit Mo-  
ses azymorum, sed imitatur De-  
um cuius legatus erat ad populum. Hic  
enim sæpè repetiuit mandatum de  
azymis, quod omnino seruandum erat,  
neq; sine magno periculo potuit con-  
temni. Nam si vehementer postea of-  
fensus est Deus à populo, cum is fasti-  
diret manna & postularet carnes, quan-  
tò magis esset offensus neglectis azy-  
mis, qui Christum cœlestem & viuum  
panem significabant? Illud autem di-  
gnum est admiratione, quod Moses  
non ideo panes azymos à populo fa-  
ctos

Exod. 16.

Ioan. 6.

Etos esse scribit, quia mandatum Dei habuit, sed quia facultas defuit ad fermentandam farinam. Significat igitur voluntatem populo non defuisse. Est itaq; omnino aliquid misterij in his verbis, de quo tamen nihil affirmare possumus: Tamen coniecturam nostram saluo aliorum saniori iudicio, indicabimus. Videtur enim Moses non tantum illius sui populi ingenium notasse, verum etiam omnium hypocritarum, qui pro mercede seruiunt Deo illiberaliter: ac propterea dicuntur populus legis & serui, non filij. Illi, quidquid faciunt de lege, inuiti faciunt, non quia voluntas, sed quia facultas deest violandi mandata Dei. Cum enim facultatem nacti sunt, non recusant audacter violare legem Dei. Astute igitur seruiunt Deo. Cum enim voluntas eorum, aliena sit ab obedientia erga legem: tamen videri volunt consilio non peccasse, quando facultatem peccandi non habuerunt.



## *Explicatio de*

buerunt. Talem significat Moses suum quoque populum fuisse, vt gloriatus sit de sua obedientia erga Deum in azymis panibus faciendis, cum non potuerit fermentare panem. Nihil autem meretur laudem, quod ex animo inuito & coacto proficiscitur, & tamen, propter ciuilem tranquillitatem, postulat Deus obedientiam externam præstari ab hominibus, quantumuis inuitis, etiamsi manent illi in maledictione, cum non præstant etiam interiorem obedientiam, lex enim postulat omnium virium integritatem.

Quòd autem populus non habuit facultatē panis fermentandi, hoc diuinitus est factum. Deus enim hunc animum indidit Aegyptiis, vt populum quamprimum abire cogerent. Itaq; tota gloria fuit Dei non populi, quia Deus sustulit facultatem, quæ est in manu eius. Cum ergo is non suppeditat occasiones agendi, homines nihil agere possunt.

possunt. Quòd autem non semper prohibet ne peccent homines, id facit ad probandam hominum voluntatem, ut ipsimet intelligant, quàm prociui sint ad malum, etsi quando non peccarunt, ut agnoscant hoc Dei esse beneficium, ac petant ab eo, ut largiatur occasiones beneficiendi: facultatem verò male agendi non concedat. Hæc ad timorem simul & fidem veram vehementer conducunt.

Postquam autem de populo legis dictum est, prodest etiam considerare, quod sit ingenium populi spiritualis. Hic enim vere est liberaliter affectus: ita, ut ne tunc quidem cupiat peccare, cum adsunt occasiones peccandi. Sed toto animo abhorreat à studio male agendi, & delectetur studio faciendi ea, quæ Deo grata esse ex verbo eius, cognouit. Hoc ingenium dignum est omnibus filijs, præsertim Dei. Neque enim filij sua merita spectare solent, sed pa-

N                  rentum

rentum, eorumque magnitudine impulsi, indicant, nullam tantam obedientiam præstari posse, qua aliquam duntaxat paternorum beneficiorum consequi possint. Quò plura ergo faciunt, eò plura facere cupiunt. Tantum abest ut sibiipsis satisfaciaut. Huius obedientiæ exempla, apparent in multis sanctis, quorum memoriam Deus in verbo suo extare voluit nostra causa, ut haberemus formam eius vitæ quæ Deo placet.

TEXTVS.

Tempus autem, quo filij Israel habitauerunt in Aegypto, fuit annorum quadringentorum triginta, his finitis exiuit totus exercitus Domini vno die de terra Aegypti.

EXPLICATIO.

Sunt

Sunt & hæc verba insignè testimoniū,  
& prouidentia & veritatis Dei. Mo-  
ses enim diligenter collatis promissio-  
nibus & rebus, ostendit Deum & in  
promittendo esse prouidentissimum,  
& in præstando fidelissimum, adeoq;  
memorem suorum dictorum omnium,  
vt nullum tēpus præterire patiatur de-  
stinatum ad implendas promissiones:  
Nam de tota hac re, vt Genesis 15. cap. Gen. 15.  
scriptum est: Deus præmonuerat A-  
brahamum, quòd posteri eius in Aegy-  
pto seruituri essent annos quadrin-  
gentos, dicens: peregrinum futurum  
est semen tuum in terra non sua, qua-  
dringentis annis. Postea se facturam,  
vt rursus egrederetur cum magnis  
opibus, ætate seu generatione quarta,  
post eum mortuum. Sicut ergo Deus  
promisit beneficiū liberationis, ita etiā  
præstitit. Quòd autē hoc in loco tantū  
400. annorum mentionem scriptura  
facit, nec exactè supputat tempus, sed  
N ij significat

## *Explicatio de*

significat circiter 400. annos exulaturū populū (ita enim solemus aliquādo de finitè aliquando indefinitè aliquid numerare) id nihil decedit fidei, huic promissioni diuinæ, quòd ad 400. annos accesserunt anni 30. Deus enim maiore numerum tantū indicauit, significans, tunc fore propinquam liberationem, neq; duraturam seruitutē vsq; ad quingentesimum annum. Præterea dissimulatio minoris numeri, profuit ad populum probādum per hanc moram, vt sæpe Deus differt auxilium ecclesiæ suæ, promissum. Hinc ergò discendum est, Primū, quod promissiones diuinæ sunt ratæ. Nam si Deus ne sibi ipsi quidem reliquit potestatem eas mutandi, multò minùs ab alijs mutari possint.

Secundò, quòd Deus solet differre promissā, vt probet fidem nostram, si, cut præcipuam promissionem, de Christo redemptore, distulit vsq; ad vltimam ætatem mundi, & ad illud tempus  
cum

cum vix restaret radix quædam ex familia Davidis, unde redemptor, iuxta promissionem Davidi factam, nasci posset.

Tertiò, Deus supra omnem rationem mirabiliter præstat promissâ, nec rationes eius intelliguntur, nisi quum factum est id, quod promisit. Hæc omnia necesse est sciri, priusquam credimus fore, quæcumq; Deus promisit.

Præcipua verò commendatio veritatis diuinæ sita est in his verbis, cum inquit Moses: Illico populum esse liberatum, quamprimùm tempus constitutum à Deo, finem habuit. Neq; enim in infinitum permittit impijs, vt petulantiam suam in pios exerceant, neque exercet pios diutius, quam ferre possunt.

Præterea non solùm inchoata est liberatio post annos 400. & 30. sed vno die perfecta. Neque enim opus est Deo mora aliqua, sed quamprimùm vult, fa-

## Explicatio de

cerè potest omnia, nec tota potestas inferorum eum impedire potest. Credamus igitur, quòd omnes promissiones diuinæ perfectissimè implentur, etiamsi tempus ignoramus, quo nos ex malis corporalibus velit Deus liberare. Sciamus etiam sub tempus liberationis, quò hæc fiat gloriosior, crescere afflictiones: sicut creuerunt filijs Israël. Atque ideo nos consolari, non terre re debent. Hinc sumpta est consolatio, qua Christus Ecclesiam suam uti voluit, cum diceret: quando videbitis hæc signa, hoc est, maximas perturbationes & angustias rerù humanarum, tunc vos attollite capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.

Sed non minor est consolatio in eo, quod Moses populum Israël vocat non suū, sed Domini exercitum. Nullā enim defensionē habuit populus, nisi à Deo, cuius vnus gubernationem spectabat Moses. Nam Deus ipse præsens fuit, or-  
dines

dines descripsit, præiuit in castris mouendis, ac rursus quieuit, vbicunq; castra locari voluit: pugnavit denique pro populo contra Amorrhæos & Chanaanæos: neq; solum in columna nubis se ostēdit, verum etiam cum populus Iordanem transisset, in forma herois, strictum gladium habentis, ante ipsam aciem apparuit. Sicut autem corporali populo in forma visibili se patefecit: Ita nunc in ecclesia spirituali, præsens est invisibilis, dimicans pro ea contra

Exod. 13.

Ios. 3.

Math. 16.

diabolum & portas inferorum, Primum eam defendens contra mortem æternam. Deinde non concedens mundo, ut suam libidinem in ea pœnitus delenda, explere possit. Quare nequaquam est ociosus iste dux, nec absens, sed adest semper ecclesiæ suæ, servans eam mirabiliter contra insidias mundi & diaboli. Et quanquam maxima sunt certamina piorum omnium in hac vita, vincunt tamen singuli, ita, ut ne



## Explicatio de

vnus quidem pereat. Non suis viribus, sed Christi, per fidem 1. Ioan. 5. fides appellatur victoria qua credentes in Christum fiunt victores mundi & principis eius. Est igitur ecclesia credens in filium Dei, verè exercitus sui domini.

### TEXTVS.

Itaque nox ista solennis est Domino, quia in ea duxit populum ex Aegypto, celebrabitur ergo à filijs Israel Domino, ad omnem posteritatem. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaronem: hic ritus erit paschatis. Nullus advena ex eo comedet, feruus autem emptus circumcidatur, ac deinde comedat, inquilinus vero et mercenarius eo non vescatur.

### EXPLICATIO.

Hic

**H**ic est epilogus totius capituli. Redit enim Moses ad principium, repetens præcipua capita mandati diuini. Primum, de tempore, quod debuit conuenire memoriæ veteris beneficii, & admonere populum de vëturo paschate, quod eodem tempore, Deus martiri voluit, (eadem enim die, nouam pascha Christus mortuus est, qua olim Israëlita liberati fuerunt a tyrannide Pharaonis) in cuius vnus potestate fuit, & instituere pascha, & tempus eius celebrandi. Neq; enim vllum opus placet Deo, nisi quod per omnes circumstantias consentit cum mandato & voluntate eius. Si ergo filij Israël vel tempus, vel modum, vel locum celebrandi paschatis mutassent, non honore, sed contumelia Deum affecissent. Hæc igitur regula in cultu Dei necessaria est, ne quid suscipiatur sine mandato Dei, hoc nomine, vt Deus colatur. Quanc; enim (vt superius quoq; dictum est) ee-

## Explicatio de

clesia facultatem habet aliquas cæremonias instituendi, propter ordinem & disciplinam, quæ non pugnant cum verbo Dei: tamen non est addenda opinio necessitatis, quasi tam necessariæ sint, quàm illæ, quas Deus ipse instituit, vt in nouo Testamento sunt, prædicatio euangelij & sacramenta.

Secundò, ostendit Moyses, verum vsum cæremonia, neq; enim hoc sine seruari debuit, vt per eam populus bene de Deo mereretur, sed vt accepti singularis beneficij recordaretur. Quamobrem hypocritæ non ritè celebrabant pascha, qui ex hoc opere, fecerunt meritum & beneficium, quod fingebant se dare Deo: Quantò magis errant hypocritæ noui Testamenti, si qui, cum vel docent Euangelium, vel audiunt, vel administrant alijs sacramenta, vel ipsi eis vtuntur, existimant, se non accipere beneficia, sed dare Deo, siue igitur docemus siue discimus Euangelium,

um, siue administramus sacramenta, siue accipimus, finis esse debet memoria beneficiorum Dei longe maiorum, quam fuerunt illa, propter quæ vetus pascha celebratum est, vt simus parati, non ad obligandum Deum, sed ad nos ei obligandos pro tantis beneficijs, quanta nobis indignis, gratis offeruntur. Cunque nulla gratitudo nostra par sit vni tantum beneficio Dei, quantumuis exiguo, propter infinitam maiestatem authoris, quis erit locus merito? Hoc totum bene mereri est Dei, nostrum verò & meminisse & prædicare, atq; ita quidem, vt fateamur omnia esse gratuita, & ex sola misericordia collata.

Huius gratitudinis est officium & illud, vt singuli dent operam, ne memoria beneficiorum Dei intereat, sed conseruetur ad posteritatem, cuius officij nominatim facit mentionem Deus, seriò postulans, vt cõseruetur posteritati.

Tertio,

## Explicatio de

Tertiò, excludit Deus ab usu paschatis aduenas, seruos non emptos & non circumcisos, inquilinos & mercenarios. Neque enim propter hos contigit liberatio ex Aegypto, & alia beneficia cum hoc coniuncta, cum non sint promissa cuiquam, nisi populo ex Israel nato. Quapropter hunc vnum populum voluit sibi Deus eligere à cæteris gentibus, ad suum cultum, vt eum cognosceret, & cognoscendo ei seruiret, eumq; coleret & amaret, cui dedit præcepta cæremonialia, vt illa frequentando, cognosceret vnum solum Deum creatorem omnium, & specialem benefactorem: & vt in illis signis cæremonialibus, præuideret futura mysteria de Christo, ac vniuersalem redemptionem per Christum, ex illo populo nasciturum. Ad hunc igitur solum, usus paschatis pertinebat, in quo memoria beneficiorum celebrabatur ab ijs, quibus contigerant. Hic admirabilis Dei bonitas

bonitas se ostendit, quòd ab ijs tantùm vult sua beneficia celebrari, quibus saluti fuerunt, non à cæteris. Et Psalmo 49. prohibet impijs officium prædicandi nominis sui, cùm inquit: Quare tu peccator enarras iustificationes meas?

Per peccatorem, proculdubio, hoc in loco, Iudæorum, sacerdotum ac scribarum genus intelligit, qui legales iustificationes narrabant populo, quiq; ore tantùm, non etiam corde, ex veteri Testamento sententias atque authoritates afferebant. Gloriabantur etiam in lege, ac veluti per eam prorsus iustificati essent, omne genus delicti committebant. Idcirco de eis loquens Dominus ad populum, dixit: quæ dicunt facite, sed iuxta opera eorum nolite facere.

Hæc eadem officia sunt populi noui Testamenti, in quo nemo est idoneus ad regnum Christi, nisi qui credit in eum, & verbum eius seriò amplectitur.

Qui

## Explicatio de

Qui verò cum verè credentibus non sunt coniuncti per fidem veram, ihs Christus non prodest. Per aduenas igitur intelliguntur illi, qui etiam ab externa societate ecclesiæ Christi, segregati sunt: vel non audientes verbum eius vel persequentes. Per inquilinos hypocritæ, qui audiunt quidem euangelium, & sacramentis vtuntur, suntq; admixti verè pijs, sed manent sine penitentiâ & fide, cum fructibus. Per mercenarios verò, qui tantum suæ utilitatis causa docent, vel amplectuntur euangelium, suntque fucatis amicis similes, qui non perseverant in fide, cum aliqua tempestas orta est, intelliguntur. Serui autem empti precio & circumcisi, fuerunt typus verè piorum, qui non modò norunt se redemptos esse per Christum, verumetiam fiunt verè socij illius scæderis, quod Deus percutit cum hominibus in Baptismo & cæteris sacramentis, propterea, quòd  
seruant

seruant conditiones pacti, vt agant Tit. 1.  
pœnitentiam & fructificent: neque ta- Iac. 2.  
men pendeant ex operibus suis, sed Gal. 2. 5.  
ex sola morte & resurrectione filij Dei

**T E X T V S.**

In vna domo comedetis, neque de carne eius efferetis quicquam extra domum, neque os vllum ei frangetis. Tota multitudo Israel hoc agat.

**EXPLICATIO.**

**Q**uod de vna domo scribit Moses, id ex verbis superioribus, quale sit, iudicandum est, videlicet, ne Agnus diuidatur in diuersas domos, sed integer in eadem domo consumatur, siue ab eiusdem domus familia si sufficit, siue coniunctis vicinis, idque propter significationem, Neque enim vult Deus diuidi



## Explicatio de

ac discerpi, sed ab iisdem integrè apprehendi cum toto suo verbo, quod siue integrum reiiciatur, siue ex parte tantùm apprehédatur, salutis nulla est spes relicta. **Domus vna**, est ecclesia, in qua sola integer **Christus** fit cibus salutaris omnibus, qui verbum eius integrè amplectuntur. Nec putemus **AGNUM** istum anniculum, vbi cunq; posse comedi, sed in ecclesia christiana. Huic enim ecclesiæ soli, promissus est **Christus**, communiter donatus omnibus, qui cunq; obediunt **Euangelio**: & extra hanc, nemini conducens. Et sicut in diluuiò non saluatur, nisi qui in arca

**Noë** erat: ita nemo extra hanc domum, hoc est ecclesiam existens, saluatur. **Ecclesia** autem significat vniuersalem cætum, per totam quidem orbem dispersum, sed voce verbi diuini, in vnitate

tem fidei congregatum & conuocatum, **vt verba Symboli** habent: **Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum commu,**

communionem: hoc est, credo vniuersalem aliquem cœtum esse, qui sit ecclesia. Cùm autem nemo, nisi qui ecclesie membrum sit, saluari possit, sicut in diluuiò, nulli, nisi qui in arca Noë erant, liberabantur: agamus gratias Deo, nos ad societatem istius cœtus, qui est vera ecclesia, vocatos esse.

Cur autem additum sit mandatum de nullo ossè frangendo, causa facilis est, cùm Ioannes Euangelista, hoc ipsum testimonium allegauerit de Christo, iam mortuo, & in cruce pendente: nam ideo docet, ossa eius non esse fracta, sicut aliorum duorum, qui cum ipso crucifixi erāt, quòd hanc scripturam impleri oportuit: Os ei non frangetis. Sic enim placuit Deo, vt quamuis duriter plecteretur filius, ossa tamen eius integra relinquerentur. Tota enim passio & mors Christi, diuinitus gubernata est, non ex inimicorum malitia. Nam quòd ad hanc pertinet, totus Christus in puluerem

Ioan. 19.  
Exod. 12.  
Num. 9.

## Explicatio de

uerem esset redactus. Cumq; nos simus ei conformes: sciendum est, nos quoq; esse in manu Dei, non hostium. Occultè autem significatum est, non esse mansurum in morte, cum Deo curare fuerit, ne ossa eius frangerentur.

Rursum autem accommodatur mandatum ad vniuersum populum Israël, ad significandum, quod omnes rei essent futuri, in noui AGNI immolatione: sed tamen eis modus præfigitur, quem non poterant egredi. Deinde quòd integer Christus ad omnes pertineret, quicumque carnem eius ederent & sanguinem eius biberent. Neque enim tot partes de Christo sumuntur, quot homines sunt, qui eum fide accipiunt, sed totus Christus est singulorum & vniuersorum, in ipsum credentiù, qui in cœna integer accipitur: sicut ecclesia in quadã prosa canit: Sciamus ergo Christù pariter esse omnium, quicumq; credunt in eum, quia pro ipso-  
rum

Ioan. 6.

1. Cor. 11

rum peccatis, integrè satisfecit, iam modò sedens ad dexteram patris, & interpellans pro eis,

T E X T V S.

Si quis autem aduena tecum habitat, volens celebrare pascha Domini, is circumcidat omne masculinum: tum se adiungat, et faciat idem, quod indigena. Nullus enim incircumcisus comedere ex eo debet, eademque lege teneantur indigenæ, et peregrini, qui inter vos habitant.

EXPLICATIO.

**H**Aec circumstantia, magis declarat voluntatem Dei, in paschate celebrando, sic enim non proderat homini Iudæo, ex semine Abrahamæ natum esse, si non celebrabat pascha vnà cum

## Explicatio de

alijs. Ita non nocbat alicui ex Gentibus, quòd non erat natus ex Abraham, Isaac, & Jacob, si modò adiunxit se ad populum Dei, & obtemperauit mandato Dei. Hoc fuit manifestum argumentum, quòd non soli Iudæi essent ecclesia, sed etiam illi, qui ex Gentibus se conuertissent ad eundem Deum, qui verbum suum Iudæis tradidit, iuxta promissionem, his tribus Patriarchis, factam: In semine tuo benedicetur omnibus Gentibus. Hæc societas Iudæorum & Gentium, in nouo Testamento, clarissime expressa est, vt Marthæi 8. Venient multi ab oriente & occidente, & accumbent cum Abraham, Isaac & Jacob, in regno cœlorum, sed filij regni, efficiuntur in tenebras exteriores. Item, Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas etiam oportet me adducere, &c. Sed nullum est illustrius testimonium de Gentibus, quòd pertineant ad societatem ecclesiæ Dei, quam

Gal. 3.

Gen. 22.

Gen. 12.

Esa. 43.

Malach. 1

& accumbent cum Abraham, Isaac & Jacob, in regno cœlorum, sed filij regni, efficiuntur in tenebras exteriores. Item, Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas etiam oportet me adducere, &c. Sed nullum est illustrius testimonium de Gentibus, quòd pertineant ad societatem ecclesiæ Dei, quam

quàm quòd Iudæis pœnitus reiectis, *Act. 13.*  
verbum noui Testamenti iam diu ad  
Gentes translaturum est. Et sicut olim  
cogebantur nati ex Gentibus, se ad-  
ungere Iudæis, per circumcisionem & le-  
gem Mofi, si ciues Iudæorum esse vel-  
lent: Ita nunc, si quis Iudæorum vult  
fieri pars ecclesiæ Dei, cogitur se ad-  
iungere nobis Gentibus, atq; hinc pe-  
tere verbum Dei, cum suis beneficijs.

Quod cum ita sit, facilè soluitur no-  
dus, quem Iudæi ex hoc loco Mofi ne-  
stunt. Aiunt enim, manifesto mandato  
Dei cogi peregrinos, qui Agno pascha-  
li vesci voluerunt, vt recipiant circum-  
cisionem, & legem Mofi, quo argumen-  
to, proculdubio Gallatæ sunt decepti, *Gal. 5.*  
sed magnum est discrimen inter vetus *Rom. 3.*  
& nouum Testamentum. In illo, nemi-  
ni concedebatur ius politix Iudaicæ,  
ad quam solum pertinebat fœderis an-  
tiqui promissio, nisi circumcissus esset,  
& legem Mofi amplexus. In hoc verò *Act. 15.*

## Explicatio de

Esa. 5. di-  
cit Dñs :  
diruam  
maceriã  
vineæ  
meæ.

nostro fœdere, nullum factum est di-  
scrimen inter circumcisos & incircum-  
cisos : Sed maceria, vt Paulus ad Ephe-  
seos 2. scribit, qua Iudæi & Gentes olim  
distinguebantur, prorsus diruta est,  
vt communia essent beneficia noui Te-  
stamenti omnibus, qui in eius fœdus  
ex animo consentiunt, siue ex Iudæis  
sunt, siue ex Gentibus. Imò, cum ad  
Iudæos pœnitus abiectos, nulli am-  
plius mittantur doctores, necesse est,  
vt ipsi cum Gentibus incircumcisi, se  
coniungant, & amplectantur verbũ Eu-  
angelij de Christo, quod sonat inter  
Gentes : Si benedictionem promissam  
patribus, de semine benedicente, cer-  
tò consequi volunt. Quamobrem, ni-  
hil est, quòd allegant præceptum huius  
loci de Gentibus circumcidendis, sub-  
latum vnã cum toto veteri Testamen-  
to, postquam Christus per nouum ab-  
rogauit.

Illud

Illud autem hic obseruandum est, quod nouum pascha non potest edi extra ecclesiam, quæ est testis noui Testamenti, & bona fide profitetur verbum de Christo. Nam huic soli ecclesie datæ sunt promissiones, qualis est illa: Quicumq; crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Item: Quorumcunque remiseritis peccata, ijs remittuntur, &c. Reliqua pars humani generis, tota exclusa est à remissione peccatorum & salute, iuxta comminationem Euangelij: Qui non crediderit condemnabitur. Item: Quorumcunque retinebitis peccata, ijs retenta sunt. Itaq; necesse est, vt singuli, qui cupiunt Deo placere & frui beneficijs, quæ per sanguinem noui **AGNI** parata sunt, se summo studio coniungant cum eo cœtu, qui doctrinam de Christo integram & incorruptam profitetur. Nec sufficit externa &



## Explicatio de

corporalis societas, sicut in veteri Testamento, sufficiebat ad promissiones rerum corporalium, apprehendendas, sed oportet vnumquemque in spiritu coniungi cum ecclesia spirituali, cuius viua & solida membra, serió terrentur agnitione peccati sui, & iræ Dei, cum qua coniuncta est maledictio & mors æterna: & tamen contra desperationem erigunt se fiducia gratiæ, quæ offertur in Euangelio propter Christum, in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam. Neq; hanc fidem rursum abscidunt, vel metu periculorum deteriti, vel rerum secundarum suauitate decepti. Nam hypocritæ, nihilo magis placent Deo, quàm manifesti aduersarij.

Math. 23.  
Luc. 17.

### TEXTVS.

Feceruntque omnes filij Israel, sicut Dominus præceperat Moysi et Aaroni, atque ita eduxit Dominus

minus

minus vno die, omnes filios Israel  
ex Aegypto, per turmas suas, cum  
vniuersa militia illorum.

## EXPLICATIO.

**H**IC locus necessario coniungitur  
cum proximo. Nam promissiones  
diuinae, tantum his sunt utiles, qui  
mandata Dei faciunt. Itaque & filijs Israel  
profuerunt, cum seruarent legem pa-  
schatis, nulla eius parte praetermissa.  
Est & illud exemplum utile, quod po-  
pulus non requirit ipsam vocem Dei  
immediatam, sed contentus est testimo-  
nio istorum, quos Deus miserat, cum  
hac authoritate, ut haberent potesta-  
tem hunc populum docendi. Hoc  
vtrunq; nobis quoque per necessarium est.  
Primum, ut subiiciamus nos ei mini-  
sterio, quod Deus instituit in ecclesia,  
nec aliter de Deo & voluntate eius  
quaeramus, nisi ut ipse se per euangelij

## Explicatio de

Luc. 10. prædicationem patefecit. Nam aliter  
Math. 10. qui volunt eum agnoscere, reiecto  
Ioan. 13. verbo Prophetarum & Apostolorum,  
cuius testis & interpretes est ecclesia, nunquam id consequentur. Deinde non solum audiendum est euangeliū, seu verbum, quod in ecclesia, per homines diuinitus excitatos ac missos, docetur, verum etiam faciendum. Itaque Christus huiusmodi hominem, qui non audit modò, verum etiam facit verbum eius, cõparat viro sapienti, qui domum suam ædificat in petra, quam nullæ tēpestates, nec aquarum fluctus, possunt euertere. Nam ad huc pertinet promissiones omnes, Primū Euangelij, quibus offertur gratia & remissio peccatorum, vna cum dono Spiritus sancti, & vitæ æternæ. Deinde & legis, cuius impletio imputatur ijs, qui verè assentiuntur Euangelio, verè agētes pœnitentiã, verè credētes Christum esse suum cum omnibus suis beneficijs, & verè conantes seruire Deo in vera inuocatione & gratiarū actione,

alijsq; officijs nouę & spiritualis naturę, ceteri frustra expectant promissa bona, qui cum audiunt doctrinam euangelij, manent sine pœnitentia & fide, nec obtemperant mandatis Christi, quę sunt : Agite pœnitentiam : credite Marc. 1. euangelio, lux vestra luceat coram homi- Matth. 5. nibus, &c. Nec vnq; possunt esse certi, quod sint in gratia, cum malè sibi sint conscij, propterea, quod voci euangelij non obediunt. Hęc semper in animo sunt habenda pijs, vt crescat in eis studium audiendi verbum Dei, atq; ad rem transferendi.

Claudit autem Moses historiam de Agno paschali, per epiphonemam, quo prædicat gloriam Dei, docens hoc suo exemplo, quod præcipuum officium sit omnium seruorum Dei, vt nihil sibi adscribant, sed omnia soli Deo ferant accepta. Neq; enim mittuntur, vt suo honori & vtilitati consulant, sed vt Deus cum suis beneficijs, per eos quàm plurimis,

## Explicatio de

Act. 9.

plurimis, innotescat. Vbique ergo Moses, eandem modestiam retinet, seruo Dei bono & fideli dignam, ne vnum quidem verbum sibi arrogans, nedum factum. Neque enim instrumento debetur honos, sed ei, qui instrumento rectè vtitur. Propterea Deus Paulum appellavit organum suum, quo ipse vteretur, eique dedit nomen Apostoli, vt non suum verbum, sed Domini sui annunciaret. Discamus igitur, hanc modestiam multò magis nos decere, qui vix à longe sequimur Moysen, Prophetas & Apostolos, ne simus arrogantes, sed modesti in agnoscenda nostra infirmitate, propter quam inepti sumus ad omnia, & tribuamus omnem gloriam Deo, qui eligit infirma organa, vt potentiam diaboli & mundi confundat. Hic & facultatem omnem largitur, vt officia quisque sua facere possit, & successum. Non ergo gloriatur Moses, se duxisse populum ex Aegypto, sed

sed Dominum fuisse vnicum ducem  
tanti operis, cum inquit: eduxit Do-  
minus vno die, omnes filios Israël, ex  
Aegypto. Atque huc respexit David Exod. 13.  
quoque Propheta, cum dixit Psal. 77.  
& abstulit, sicut oves populum suum,  
& eduxit eos tanquam gregem in de-  
serto, & deduxit eos in spe, & non ti-  
muerunt. Abstulit enim eos vi qua-  
dam ex Aegypto, duxq; eis itineris fuit.  
Curauit item & fouit non secus, ac pa-  
stor oves proprias & gregem suum, &  
non timuerunt inquit Propheta. Ex-  
euntes siquidem Israelitas, prima die ac  
nocte, in illius promissionis spe, dedu-  
xit, quæ facta fuerat Abrahamo, de qua Gen. 15.  
supra dictum est. Ea autem die seu  
nocte exeuntes, non timuerunt: Postea  
autem sæpenumero in summa fuerunt  
formidine. Et sicut Deus eduxit fili-  
os Israël ex Aegypto & seruitute Pha-  
raonis, cum exultatione, ita nos quoq;  
per filium suum Dominum nostrum  
Iesum

## Explicatio de

Iesum Christum, ex aeterna seruitute diaboli liberati sumus. Vnde sequitur, vt multò magis nos, soli Deo pro tantis beneficijs honorem tribuamus.

Iterum autem appellat Moses populum Israël, Dei exercitum, quo nomine significatum est, nequaquam ei conuenite ocium, sed miliciam, eamq̃ continuam, & sub duce vigilantissimo. Sed nullum est bellum magis difficile, quàm quod geritur contra mundum & principem eius, vbi multo magis opus est duce, non Mose, qui, nè ad corporalem quidem populum ducendum fuit idoneus, vt ipsemet fateatur, sed filio Dei, qui dixit: confidite ego vici mundum. Item, nemo rapiet oues meas de manu mea. Totum enim hoc bellum alienis, hoc est, Christi armis & viribus, est gerendum. Accipimus autem hanc armaturam, & nobis induimus per Christum, cuius vnicum obiectum est gratia & veritas Dei,

pate-

Ioan. 16.

Ioan. 10.

Ephes. 6.

patefacta per Iesum Christum, vt Ioan-  
nis primo capite scriptum est. Cumq;  
de his tantis rebus, quantæ geruntur  
in ecclesia Christi, sanguine & morte  
eius redempta, Moses in hac historia  
de Agno paschali nos doceat, meritò  
eam omnes p̄ij magnificare, & sedulò  
meditari debent, propter multipli-  
cem doctrinam & consolationem. Vn-  
de tandem sequitur vita & felicitas  
sempiterna, quam nobis donet Deus  
pater, per filium suum, Amen.

1. Ioan. 1.  
Heb. 9.

*Epilogus.*

**S**ic itaque institutio veteris pa-  
schatis, hoc est, ritus mactationis  
Agni, simul cum historia exitus &  
liberationis Israelitarum ex Aegypto,  
nobis nota & familiaris esse debeat. Et  
huius historiae studiosi lectores, totam  
hanc doctrinam diligenter repetant,  
confi-



## Epilogus

considerent, ac ad usum suum trans-  
ferant, indeq; vnusquisque sibi ipsi be-  
neficia AGNI paschalis Christi, ap-  
plicet & colligat. Tota siquidem hæc  
actio & à Pharaonica tyrannide libera-  
tio, figura fuit liberationis, per Chri-  
stum facta, ab æterna damnatione dia-  
boli. Certum est enim veterem ritum  
mactationis Agni tantis miraculis in-  
stitutum, non solum fuisse signum ad-  
monens de præterita liberatione, sed  
etiam de futura, & de AGNO, hoc  
est victima, per quam vera & æterna  
liberatio donanda erat. Ideo & Paulus  
confert vetus Pascha cum Christo, in-  
quiens: Pascha nostrum immolatus est  
Christus. Vt autem in nostro pascha-  
te, id est, in passione Christi conspici-  
tur magnitudo iræ Dei aduersus pecca-  
tum: & rursum misericordia in incho-  
atione vitæ æternæ, per resurrectionem  
& promissionem liberationis à peccato

& morte: Ita in paschate veteri tota historia consideretur, vt & ira Dei aduersus peccata Aegyptiorum, & misericordia in liberatione ecclesiae agnoscat. Dicitur autem Pascha seu phasce Domini, quod Deus transierit, percussit Aegyptios, & pepercerit familijs, vbi limen fuit conspersum sanguine Agni. Haec est principalis significatio: Missio filio iudicabit Deus mundum, transibit per omnes gentes, & abijciat eas in aeternos cruciatus sed parcat ecclesiae suae conspersae sanguine filij Dei. Haec pars manifestè testatur in hac tota imagine depingi Christum, & passionem Christi, quia hic clarè dicitur, parci familijs, vbi limen erat conspersum sanguine. Constat autem non liberari nos ab altera morte aeterna, nisi sanguine filij Dei. Ad hanc significationem haec imago aperte congruit.

P

Quia

## Epilogus.

Quia autem morte sua nos libera-  
turus erat filius Dei à tyrannide dia-  
boli, ideo & eadem die mortuus est,  
qua olim Israëlitaè liberati fuerant à ty-  
rannide Pharaonis. Hoc ipsum con-  
firmat Christus in eo sermone, quem  
Math. 26. paulò antè passionem suam, cum di-  
scipulis habuit, Scitis, inquit: Quia  
post biduum Pascha fiet, & filius ho-  
minis tradetur, vt crucifigatur. Sci-  
tis inquam, quale iam festum immi-  
net, ad quod nemo se non præparat,  
Iudæorum. Cæterum ego filius homi-  
nis, hoc ipso festo tradendus sum &  
crucifigendus, & tanquam **AGNVS**  
mactandus & immolandus, in ara cru-  
cis, pro mundi salute, quod ita futurû,  
diu ante sæpè prædixi, tempus adest,  
iam hora mea venit. Quandoquidem  
ideo veni in mundum, vt obediens  
sim patri, ad mortem vsq; crucis: hoc  
tempus ipse elegi. Ego enim sangui-  
ne

ne meo delebo plagam, qua totus percussus est mundus. Eoque die sanguinem meum effundam, **AGNVS** innocens, quo olim ex Aegypto Israëlitæ fuerant liberati, ab exterminatore, per sanguinem Agni paschalis. In priori illo transitu, dux fuit Moyses, in hoc dux ego futurus sum. Sicut ergo illi sequuti sunt Moysen, sic vos me sequimini. Hæc hic in hac imagine, consideranda sunt.

Cæterum apparatus viatoris nos quoq; admonet de certaminibus, existis, & ærumnis in hac vita suscipiendis. Etsi enim inchoata est liberatio: tamen nondum est perfecta, sed perficietur cùm per mortem educti fuerimus in æternam vitam. Ut autem mare non obruebat Israëlitas euntes per undas, ita mors non absorbet eos, qui **AGNO** Christo credunt. Hoc modo nos admonet typus de perficienda li-

## Epilogus.

beratione, vt Israëlitas admonebat restare aliam liberationem. Nec dubium est sapientes viros in populo Israël, cum steterunt in conuiuio accincti, talibus verbis admonuisse suos: videtis quid hic noster apparatus significet, Deus nos iubet esse accinctos ad exilia, ad dimicationes, ad pericula, hæc igitur pia mente suscipiamus, & expectemus alteram liberationem, quæ ducet nos in æternam quietem, significatam hac liberatione.

Hanc igitur collationem Agni Paschatis cum AGNO Christo diligenter contemplemur, incurrat in oculos mactatio Agni & aspersio sanguinis. Mactatio significat mortem Christi. Aspersio significat applicationem, qua singuli fide applicant sibi beneficium Christi, atq; ita sanguine eius asperguntur, vt inquit Petrus.

Cogitentur & causæ iræ Dei aduersus  
sus

sus peccatum generis humani: & misericordia, quòd sanguine filij sui nos redemerit. Retineatur fides in inuocatione, quòd verè propter hunc filium recipiamur, non propter nostram dignitatem. Considerentur & pœnæ Aegypti, significantes exitium omnium impiorum.



VARASDINI,  
EXCVDEBAT  
IOANNES MAN-  
LIVS, ANNO  
M. D. LXXXVII.